Cenadienſi Epiſcopo, & Abbati de Cikedor, Quinqueccleſienſis diœceſis.

Cum in juventute ſua venerabilis frater noſter C. Quinqueccleſienſis Epiſcopus, adeo ſe maturum, honeſtum, & providum exhibuerit, ut propter ſuavem ſuæ probitatis odorem ab Eccleſia Romana meruerit ornamento pallii decorari: non eſt de levi credendum, quod poſtquam ad ſenilem pervenit ætatem, &c. Require ſupra in regeſtro noni anni ejuſdem Domini Innocentii III. Papæ. Datum Ferentini nonis Julii, in eundem modum per totum, uſque Non duximus iterandum. Cum & chariſſimus in Chriſto filius noſter A. Rex Hungarorum illuſtris, cum per ſuas litteras valde nobis reddiderit commendatum, aſſerens, &c. uſque Præcipiendo mandamus, quatenus cum per Epiſcopum ipſum non ſteterit, quominus purgaverit ſemetipſum, quando purgationem curavit offerre, non ut ratum haberet, quod a nuncio ſuo fuerat procuratum, ſed ne mandatum Apoſtolicum contemnere videretur, non ſinatis ipſum ulterius occaſione prædicti mandati ab aliquo moleſtari. Sed ſi videritis contra eum ſtudia concinnari maligna, non permittatis ipſum iniquis machinationibus conculcari. Quia vehementer præſumimus ex veriſimilibus conjecturis, quod aliqui contra eum invidia torqueantur, dejectionem ipſius, exaltationem propriam æſtimantes: ſignificaturi nobis, cum expedire videritis, de ſingulis circumſtantiis veritatem. Datum Later. vii. Idus Martii, Pontificatus noſtri anno tertiodecimo.) Et licet eiſdem Prælatis, & per eadem verba reſcribat Innocentius in exordio utriuſque epiſtolæ; non tamen inde inferas, eſſe eandem Epiſtolam diverſas in partes ſecatam: prorſus enim diverſæ ſunt. Quod facilius percipietur, ſi præſentis cauſæ hiſtoriam referamus.

2 Casus refertur. Andreas Hungariæ Rex, Epiſcopum Quinqueccleſienſem, qui jam ob impenſos in Eccleſia labores a Sede Apoſtolica pallio decoratus fuerat, inceſtus cum nepte commiſſi detulit Innocentio III. ſed Aurienſis, ſeu Agrinenſis Epiſcopus, cui a Pontifice cauſa commiſſa fuerat, eum inſigni caſtitate præditum, virum utique providum, & probum eſſe, Pontifici ſignificavit: ſed adhuc Innocentius III. paterna correctione Quinqueccleſienſem Epiſcopum admonuit, unde de cetero a prædictæ neptis familiaritate ſe abſtineret. Quibus monitionibus obtemperans, ſobrieque vivens, in Archiepiſcopum Strigonienſem poſtulatus fuit, quibuſdam renitentibus. Unde iterum coram Innoc. III. prædictum inceſtus crimen illi objectum fuit. Epiſcopi procurator bono zelo, ignaro Epiſcopo, ejus nomine purgationem indici poſtulavit, quam Innocentius indixit, licet obteſtans, imprudentem eſſe, cum ſuffraganei Strigonienſis, Metropolis poſtulationi contradicerent, & Archiepiſcopus Collocenſis ſuper jure Metropolitico cum Strigonienſi Præſule litem haberet; unde cum non eſsent alii Epiſcopi in Hungaria, eos non legitime purgationem ſuſcepturos Innocentius agnoſcebat. Verum Epiſcopus Quinqueccleſienſis non ex eo ratam habens procuratoris ſui petitionem, ſed ne mandato Apoſtolico contraire videretur, ſeſe purgandum obtulit, nec per eum ſtetit, quominus purgationem ſubiret; unde juſſit Innocentius III. in relata epiſtola 12. eiſdem judicibus delegatis, videlicet Cenadienſi Epiſcopo, & Abbati de Cikedor, ne prædictæ delationis cauſa prædictum Epiſcopum moleſtari paterentur; quoad poſtulationem vero ad Strigonienſem Eccleſiam, conſtat poſtulatos poſtea fuiſſe Cenadienſem, & Nitrienſem Epiſcopos, *ex c. 2. de poſtul. Præl. in 5. compil.* ubi ait Honorius III. “ Duabus poſtulationibus, una videli„ cet de ven. f. n. Cenad. reliqua vero de ven. f. n. Nitrien. „ Epiſcopis: in Strigon. Eccleſia celebratis, cum nullam ea„ rum invenerimus eſſe canonicam, & in tanta contradictio„ ne non conſueverit fieri poſtulatio, quæ ſi etiam concor„ diter fieret, plus gratia, quam jus requirit admitti, neu„ tram de f. n. conſilio duximus admittendam. „

3 b *Pallii.*) Quod nonniſi exigentibus meritis ſolet ab Eccleſia Romana concedi, *c. priſca, c. contra morem, c. rationis* 100. *d.* Et licet proprie Archiepiſcopis competat, *c. quoniam, eod. d. c. ad hoc, c. cum ſis, de auctor. & uſu pal. c. antiquæ, c. ad Apoſtolicæ, de præbend. in 6.* tamen ſingulari Pontificis beneficio plerumque Epiſcopis ob magna illorum merita concedi legimus apud Gregorium II. *ep.* 2. & alios congeſtos *in c. 1. de auctor. & uſu pal.* Unde recte Innoc. in præſenti Epiſcopi Quinqueccleſienſis ſobrietatem, morumque probitatem commendat, & probat ex eo; quod ob ejus inclyta merita Romana Eccleſia pallium illi conceſſerit.

4 c *Ad ſenilem.*) Hoc etiam argumento uſus eſt Quintil. “ declamat. 300. Nihil mihi objectum eſt in etate prima. *Et* „ declam. 380. Quare quid commiſit, ante actam vitam ex„ ſcrutemur. „ Ratio hujus præſumptionis redditur a D. Ambroſio relato *in c. in ſalicibus 57. de pœnit. d. 2.* ubi Sanctus Doctor agens de pœnitentia ita ait, *Tunc enim maxime urgemur, cum caro cedit.* Quibus in verbis innuit, tunc pœnitentiam urgere, cum carnis illecebræ deficiunt. Conſtat autem tunc maxime eas deficere, cum quis ad ſenilem pervenit ætatem; tunc enim ſenectus futuræ incontinentiæ ſuſpicionem aufert: verba ſunt Pelagii relati *in c. fraternitatis*, 34. *d.* Faciunt Seneca *declam.* 2. ibi; *Adoleſcens luxurioſus peccat, ſenex luxurioſus inſanit.* Tullius *l. 1. de offic. Luxuria cum omni ætati ſit turpis, ſenibus maxime eſt fœdiſſima.* Ovidius:

Militat in teneris animis amor, hoſpes amœnus;
Eſt in canitie ridiculoſa venus.
Exultat levitate puer, gravitate ſenectus:
Inter utrumque manens ſtat juvenile decus.

Sive propter frigiditatem, quæ (ut inquiunt Galenus *l. 5. de ſanitate tuenda, pag.* 7. Ariſt. *l. 7. hiſtor. animal. c. 3. in fine.* ſenilis corporis ſtatum comitatur; ſive ob alias rationes, quas cumulant Tiraq. *l. 6. connub. per tot.* Sanch. *l. 7. de matrim. diſp. 32. & 92.* unde *in c. cum ſit 4. c. ad Apoſtolicam 13. c. ſignificavit 18. de converſ. conjug.* ita demum conjugi permittitur religionem ingredi, ſi conjux quæ in ſæculo remanet, ſenex ſit, in qua nulla incontinentiæ ſuſpicio datur.

d *In juventute contrahitur.*) Ferventem juvenum impetum, ad mala proniſſimum, præcipue ad luxuriam, eleganter expreſſit D. Baſilius *in c. 3. Iſaiæ*, his verbis: “ Eſt adoleſcen„ tia perquam levis, & ad flagitia quæque apprime mobilis, „ ut ſunt indomitæ, & effrænes concupiſcentiæ belluinæ, & „ immanes iræ, linguæ incontinentia, contumeliæ, arrogantia, „ faſtus ex animi elatione; reliquæ item affectiones juventuti „ vernaculæ, & coalumnæ, invidiæ ob exſuperantem alterius „ eminentiam, ſuſpiciones propter contractam familiaritatem: „ examina enim innumerabilium vitiorum ſe agglomerant, „ & adjungunt juventuti. *Lepide Horatius* de arte Poetica. 5

—— Juvenis, cuſtode remoto,
Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper,
Utilium tardus proviſor, prodigus æris,
Sublimis, cupiduſque, & amata relinquere pernix.

Et in juventute pudicitiam, ſobrietatemque ſectari, ut rarum, & admirandum, vix credi affirmat Sidonius *l. 9. ep.* 2. proinde exclamat Caſſiodorus *l. 2. ep. 1.* “ Hoc eſt profecto diffi„ cillimum regnandi genus, exercere juvenem in ſuis ſenſibus „ principatum: rarum omnino bonum eſt, dominum trium„ phare de moribus, & hoc conſequi in florida ætate, ad quod „ vix creditur cana modeſtia pervenire. „ Et Salomon *in Proverb. c. 7. verſ.* 22. De juvene verborum aucupio a meretrice capto ſic inquit: “ Statim eam ſequitur, quaſi bos du„ ctus ad victimam, & quaſi agnus laſciviens, & ignorans, „ quod ad vincula ſtultus trahatur, donec transfigat ſagitta „ jecur ejus, velut ſi avis feſtinet ad laqueum. „ Facit D. Ambroſius *l. de interpellat. Job, c. 7.* exponens illud, „ Qua„ re obſcripſiſti adverſum me mala, & appoſuiſti mihi adoleſcentiæ peccata, *ait*: Pulchræ id ætatis arripuit ad quere„ lam, quæ magis ad vitium lubrica eſſe conſuevit. „ D. Auguſtinus *ſerm.* 246. Quare Majorianus Cæſar *novel. de ſanctimonialibus*, prudenter hortatur vitandas eſſe, & magnis attentionibus tranſeundas humanæ cupiditatis illecebras, in qua præcipue primæ ætatis ardor impellit; quippe decernente Concilio Toletano 4. *can.* 23. prona eſt omnis ætas ab adoleſcentia in malum: quod præclare protulit Moyſes *Geneſ. 8. verſ. 21. Senſus*, inquit, *& cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua.* D. Hieronymus *ep. 2. ad Nepot.* “ Adoleſcentia „ inter incentiva vitiorum, & carnis titillationes, quaſi ignis „ in lignis viribus ſuffocatur, ut ſuum non poſſit explicare „ fulgorem. *Ideoque Plato in Eutiphrone:* Conſentaneum, *inquit*, „ eſt primam de ipſis juvenibus curam ſuſcipere, ut quam optimi „ evadant, quemadmodum decet agricolam novellarum plan„ tarum primam curam gerere. „ Plura congeſſerunt Altamirano *in l. 3. c. 4. n. 12. C. de filiis offic.* Savarus *ad Sidon. l. 1. ep. 2. verbo juvenili*, & *l. 2. ep. 4.* & *l. 7. ep. 2.* Buſcus *de ſtatib. hominum, verbo Adoleſcentia.* D. Ant. de Feloaga *in c. 1. de his quæ vi, ration. 5.* Theophil. *t. 11. tr. mala e bonis Eccleſ. l. 2. ſect. 1. c. 6.*

e *Litterarum.*) Secunda præſumptio, quam Innocentius III. expendit pro Epiſcopo Quinqueccleſienſi, illa eſt, quod de facili non credatur virum litterarum ſcientia præditum, propriæ ſalutis eſſe immemorem, ad eamque paſſionem verti, ut cum propria nepte nefarium perpetraſſet inceſtum: quæ verba ita accepit Barboſa *de poteſt. epiſc. alleg. 46. n. 3.* quia litterati præſumuntur a vitiis ſe abſtinere; cujus ſententiæ, etſi ipſe nullam aſſignet rationem, elegans tamen ex eo reddi poteſt; nam quanto magis qui ſcientia pollet, eo majorem habere intelligitur notitiam peccati, & pœnarum, quæ ipſi correſpondent; unde quemadmodum qui plus de pœna intelligit, eo magis a peccato deterretur; ita Epiſcopus iſte, quia vir erat præditus ſcientia litterarum, eo magis propriæ ſalutis oblitus non creditur, ut cum propria nepte perpetraret inceſtum, quo magis pœnas delicto impoſitas agnoſcebat; licet ex fragilitate nonnumquam & litterati inhoneſti ſint. Facit textus *in c. in noſtra 4. de proc.* 6

f *Nepte.*) Sed cum neptis illa dicatur, quæ ex filio, vel filia noſtra naſcitur, *leg. Juriſconſultus 10. §. 2. ff. de gradibus, l. Gallus 29. ff. de liber. & poſthum. l. avus 33. ff. de pactis, §. ult. Inſtit. de patria poteſt.* videtur deduci, Epiſcopum Quinqueccleſienſem in juventute non caſte vixiſſe, ſiquidem filium procreavit, ex quo neptem ſuſceptam domi retinebat. Quam difficultatem nullus ex Interpretibus expendit, nemoque ex eis diſſolvit; credo tamen reſponderi poſſe, neptem in præſenti non accipi pro filia a filio procreata, ſed pro filia fratris, quam vulgo ſobrinam dicimus. Nec novum eſt, ut filius fratris nepos dicatur, ut jam notavi *in c. 1. de arbitris.* 7

g *Suſpicari.*) Quæ verba reperiuntur *in leg. eum qui, verſ. ult. C. de Epiſcopis & clericis*; non tamen ad eam reſpexit Innocentius, cum ejus auctores ſint Theodoſius, & Honorius, non Ethnici, ſed Catholici Principes. Referendus ergo eſt Innoc. ad alias Ethnicorum auctoritates, quas dabimus *in cap. penult. de cohabit. cleric.* Illud tamen in præſenti notandum eſt, non prohiberi Epiſcopo cum nepte cohabitare, quia ſenex erat, alias ſi juvenis eſſet, nec cum nepte liceret ei cohabitare, *c. 1. de cohabit. cleric.* 8

h *Rex*

9 h *Rex Hungariæ.*) Sed ſi præſentia Regis habetur pro ſufficienti probatione, & ſupplet defectum ſeptem teſtium in teſtamentis, *leg. omnium 19. Codic. de teſtamentis, leg. 5. titul. 1. partit.* 6. quare in præſenti ſpecie fides non adhibetur aſsertioni, ſeu delationi Principis? Sed reſpondetur, ex littera hujus textus conſtare, Regem Hungariæ Epiſcopo Quinqueccleſienſi infeſtum, inimicumque fuiſse, unde cum teſti inimico fides non adhibeatur, ut ſæpe ſæpius probavi *in tit. de teſtibus*; ideo in præſenti inimico, quantumvis regali dignitate præfulgenti, fides non adhibetur.

i *Inclinare.*) Sed cur ad præſumptiones recurrit Innocentius, ſiquidem conſtabat, ipſam denunciationem, ſeu delationem de charitatis radice non procedere, *c. licet Heli, de ſimonia, c. cum oporteat, c. meminimus, de accuſ.* Sed reſpondetur in præſenti ſpecie ipſius Regis delationem famam comitari; unde propter infamiam indicta fuit purgatio, *c. cum in juventute, de purg. can.* & ut veritatem inquirerent, ſupradictis judicibus Innocentius noſter cauſam commiſit. 10

CAPUT FINALE.

Idem a *Archidiacono, & Præpoſito de Secam, Subd. noſtro Canonico Mediolan.*

DUdum bon. mem Archid. Mediolan. dedimus in mandatis, ut dil. fil. C. *b* ſcholarem a presbytero S. Victoris xl. Martyrum, qui ſolus in ipſa Eccleſia miniſtrabat, in qua ſicut ſcholaris idem aſseruit, quondam miniſtraverunt clericus, & ſacerdos, in clericum, & fratrem ejuſdem Eccleſiæ recipi faceret, cujus facultates idem ſcholaris proponit nullatenus *d* imminutas; ſed presbyter memoratus ipſius Archid. examen malitioſe declinans, I. clericum ad noſtram præſentiam deſtinavit, cui & præfato C. ven. f. n. *e* Tranen. Archiepiſcopum, Ap. Sed. L. tunc Subd. & Capellanum noſtrum dedimus auditorem, coram quo dictus I. aſseruit, quod nequaquam ſufficiebant duobus clericis facultates Eccleſiæ memoratæ, adjiciens quod prædictus C. non erat idoneus ad illius Eccleſiæ beneficium obtinendum. *Et infra*: Cauſam vobis duximus commendandam, ita ut ex illa clauſula, ſcilicet; Si perſona fuerit idonea; quæ in noſtro reſcripto reperitur inſerta, idem ſcholari probandi ſe idoneum nulla neceſſitas imponatur, cum prima facie præſumatur *f* idoneus, niſi alibi *g* contrarium oſtendatur.

NOTÆ.

1 a IDem.) Ia etiam legitur in tertia collectione, *ſub tit. de verb. ſign. c. 9.* ex qua textum tranſcribo. De Eccleſia Mediolanenſi nonnulla adduxi *in c. cum adeo 17. de reſcript.*

b *Scholarem.*) Alteſsera in præſenti accipit ſcholarem pro litterarum ſtudioſo, ſeu profeſsore: ut in inſcriptione capitis *in cauſis, de proc. c. paſtoralis, de fide inſtrum.* apud Matthæum Pariſium *ad annum* 1169. ibi: “ Gallicana Eccleſia ponente „ partes ſuas, ſeu ſcholaribus diverſarum provinciarum æqua „ lance negotium examinantibus. „ Sed verius credo, ſcholarem in præſenti accipi pro clerico, & miniſtro ipſius presbyteri, qui illi in cantu, & aliis officiis Eccleſiaſticis opem ferebat, de quo *in c. 1. de celebr. Miſſar.* ibi: *Per ſe, vel per ſcholarem: c. ut presbyter, de vita & honeſt. cleric.* de quo ſcholari plura dabimus *in c. 1. de celebr. Miſſar.*

c *Clericus, & ſacerdos.*) Ideſt in minoribus conſtitutus, & presbyter, *c. clericus ſi ſine gradu, de vita & hon. cleric.*

d *Imminutas.*) Unde nec minui debebat cultus divinus, ſeu numerus miniſtrorum, juxta ea, quæ adduximus *in c. cum omnes 6. de conſtit.* alias diminutis ſtipendiis, juſte præbendarum reductio fieri poterat.

e *Tranenſem Archiepiſcopum.*) Tranum, vulgo *Trani*, eſt civitas in Apulia, cujus Archipræſul Eutychius ſubſcripſit Concilio Romano 3. ſub Symmacho.

2 f *Præſumatur idoneus.*) Conſonant textus *in c. unic. de ſcrutin. c. ſi quid, 86. diſt. l. cum pater, §. rogo, ff. de legat. 2. l. ſervus 20. l. teſtamento 55. ff. de manumiſſ. teſtam. leg. omni modo, in princ.* ubi Gloſsa *verbo Licet, C. de inoffic. teſtam.* late illuſtrant ultra congeſtos a Barboſa, & Garanna *in præſent.* Eſcobar *de purit.* Barboſa *de edict.* per me laudati *in dict. c. unico.* Homo enim ex ſui natura bonus præſumitur, juxta D. Th. 1. 2. *q. 62. art. 1.* & *quæſt. 63. art. 1.* Facit Philoſophus *l. 2. Ethic. c. 1.* ubi ait: *A natura ipſa omnia virtutum ſeminaria nobis inſita eſſe.* Unde Gloſsa ordinaria exponens verba illa Matthæi „ *c. 4.* Circuibat Jeſus totam Galilæam, *inquit*: Docens naturales „ juſtitias, caſtitatem ſcilicet, & humilitatem, & ſimilia, „ quæ homo naturaliter habet. „ Illuſtrat Menochius *l. 5. præſumpt.* 1. Unde merito Innocentius in præſenti docet, clericum idoneum præſumi, & ipſam præſumptionem idoneitatis eſse violentam, transferreque onus probandi in adverſarium, quia omnis homo bonus præſumitur. Nec obſtat, hanc clauſulam, *ſi eſt idoneus*, de qua in hoc textu, reddere gratiam conditionalem, ac per conſequens gravare clericum eam probare, & verificare. Nam dupliciter reſpondetur: primo ſpeciale eſse, ut impetrator reſcripti non teneatur ad verificanda in reſcripto comprehenſa, etiam in forma conditionis, quando pro illis habet intentionem fundatam juris præſumptione, ſed onus probandi contrarium incumbit neganti, quia ſufficit reſcriptum verificari vere, vel præſumptive quoad gratiam, ut docuerunt in præſenti Panormit. *n.* 5. Felinus *n.* 1. Anton. *n.* 3. Secundo reſpondetur prædictam clauſulam, *ſi eſt idoneus*, non reddere gratiam conditionalem, quia talis clauſula potius importat monitionem, & modum, quam conditionem; & ſi non exprimeretur, cenſeretur adjecta, juxta textus *in c. cum adeo 17. de reſcriptis, c. cauſam 8. de elect. leg. quamquam 62. ff. de ritu nupt.* docet Barboſa *de clauſulis, clauſ.* 151. unde ſuccedit vulgare principium, quod quando conditio exprimitur, quæ tacite ineſt, non reddit actum conditionalem, *leg. mutuo, § ſub conditione, ff. de tutel. l. 3. ff. de legat.* 1. Nec etiam huic deciſioni obſtat textus *in c. ſi forte* 11. juncta Gloſſa 1. *de elect. in 6.* ubi ille, cui opponitur de idoneitate, tenetur eam probare, alias repellitur a beneficio. Nam reſpondetur, intrinſeca, quæ inſunt a natura, videlicet quod quis eſt caſtus, ſobrius, laudabilis converſationis, & honeſtæ vitæ, præſumuntur, *c. ſicut Chriſtus 75. q. 1.* de qua idoneitate accipiendus eſt præſens textus. Quædam vero eſt idoneitas extrinſeca, veluti quod quis ſit Clericus, legitimus, nobilis, ætatis legitimæ, quod ſcit legere, & cantare, & ſimilia, quæ ad clericum ſpectant: & hæc idoneitas non præſumitur etiam in ſcholare, qui nuper ex ſchola prodiit, quidquid velit Cujacius in præſenti: imo ſi opponitur alicui defectus ſcientiæ, ſubjicitur examini, ut *in d. c. ſi forte.* Ratio eſt, quia natura non facit artem, ſed diſponit ad artem, *c. ex ſtudiis, hoc tit. lege Stichus 12. leg. legatis 65. §. ornatricibus, ff. de legat.* 3. docent in præſenti Panormit. *n. 6. & 7.* Baldus *n.* 4. Felinus *n.* 2. Immola *n.* 3. Anania *n.* 6.

g *Contrarium.*) Licet tanta vis nonnunquam præſumptionum ſit, ut vix in contrarium probationes admittantur, *c. 2. de reſtit. ſpol. c. veniens 15. c. ad id 21. c. pen. de ſponſ. c. per tuas 6. de condition. appoſit. c. quia 10. hoc tit.* quibus caſibus lex non tantum præſumitur, ſed de præſumpto decernit, & tamquam re comperta, ſtatuit, ut in exemplis *ex c. vidua 4.* infra *de regul. c. quod interrogaſti 6. d. c. veniens ad nos 15. c. ad id quod 21. c. is qui finem 30.* infra, *de ſponſal.* ubi Barboſa; *c. per tuas 6.* infra, *de condit. appoſit. c. 3. de heretic. in 6. l. qui hominem 36. §. ſi Titium, ff. de ſolut. l. ult. §. ſin autem, C. de arbitr. tutel. l. ult. in fine, C. ad SC. Macedon. l. antiqua 23. C. ad SC. Vellej. novel. 22. Juſtin. c. 10. in verſ. Placuit enim nobis, novel. 39. c. 1. in verſ. ſi enim; novel. 136. c. 5. in verſ. Uſura:* notat Cujacius *in d. novel.* 21. ſæpe ſæpius tamen contra præſumptionem probatio admittitur, etiamſi ea a jure recepta, & prodita ſit, maxime ſi ita in jure recepta eſt, ut ei ſtetur, donec contrarium probetur, ut in præſenti textu, *& in l. chirographum 24. & ſequenti, l. qui teſtamento 27. ff. de prœbend. l. generaliter 28. § ſi petitum, ff. de fideicommiſſ. liber.* juxta quæ principia accipiendi ſunt textus *in c. fraternitatem, 54. diſt. c. ſi quis clericorum 11. q. 3. c. vidua 27. q. 2. c. vidua, de regul. c. ad id, c. is qui, de ſponſ. c. per tuas, de condition. appoſ. c. inſuper, qui matrim. accuſ. c. de hoc, c. inſinuatum, de ſimon. l. ult. C. ad Maced. l. ult. C. arbitrium tutel.*

TITULUS XXIV.

De jurejurando.

a CAPUT PRIMUM.

b Gregorius III. *Univerſis Chriſtianis.*

EX adminiſtrationis, &c. Quoniam igitur creditores ad uſuras ſibi ſolvendas in manifeſtum periculum animarum juramento debitores adſtringunt, nos eorum ſaluti volentes juxta debitum officii noſtri proſpicere, & iniquum gravamen a debitoribus removere, & illis præcipue, qui ſe, vel auxilium dederint ad ſuccurſum Terræ *c* Hieroſolymitanæ præſtandum, univ. v. mandamus, quat. creditores ipſos ad juramenta ſuper uſuris ſolvendis præſtita relaxanda, *d* ſublato contradictionis, & ap. ob. *e* diſtrictionis eccleſiaſticæ ſeveritate cogatis.

N O T Æ.

1 a *CAp.* 1.) Inverſo ordine textus hic compilatur in primo loco, tum ob ejus auctorem, tum ob ejus deciſionem: ob auctorem, ſiquidem habet Gregorium III. aut VIII. vel ut alii voluerunt IX. qui omnes floruerunt poſt Gregorium magnum, cujus eſt ſequens textus: ob deciſionem, quia cum in ea agatur de relaxatione vinculi juramenti prius de ejus obligatione diſſerendum erat, quam de relaxatione tractaretur. Hoc etiam expreſſe habetur ex Concilio Monſpelienſi nuper edito a Balluzio, ubi ipſe notavit.

2 b *Gregorius*.) Gloſſa marginalis legit IX. ſed falſo, quia ſi Gregorii IX. eſſet præſens deciſio, nec poſſet reperiri in ſecunda collectione Decretalium, in qua deciſiones Pontificum uſque ad Cæleſtinum III. extant, & in hac Raymundi collectione in calce hujus tituli eſſet compilanda. In ſecunda collectione, *ſub hoc titul. cap.* 4. ex qua textum tranſcripſit, tribuitur Gregorio III. ſed in epiſtolis ipſius Pontificis *tom.* 3. *Concilior.* compilatis non reperiuntur hujus textus verba: quare alii textum hunc tribuunt Gregorio VIII. & recte: licet enim in epiſtolis ipſius Pontificis relatis a Severino Binio *tom.* 3. *Concil.* Baronio *tom.* 12. *anno Chriſti* 1187. non referatur, tamen ex verbis hujus deciſionis conſtat, ejus auctorem eſſe Gregorium VIII. qui enixe procuravit recuperationem Terræ ſanctæ, & ut ſimul cum terra crux Dominica a Saladino Babyloniæ Rege recuperaretur: cujus belli cauſa plenariam indulgentiam proficiſcentibus ad illud conceſſit in epiſtola miſſa ad univerſos Chriſti fideles, quam referunt Neubrigenſis *libr.* 3. *cap.* 20. Baronius *ubi ſupra*. Sed ut non ſolum beneficiis ſpiritualibus, verum & temporalibus ipſos fideles juvaret, in præſenti etiam textu indulſit, ut ſi ipſi debitores exiſterent uſurarum, etiam juramento præſtito, compellere poſſent ipſos creditores, ut ſimilia juramenta illis relaxarent, ut apertius liquet ex verbis tranſcriptis in præſenti ex dicta collectione 2. quæ Raymundus omiſit, quia ejus votum fuit in hac collectione regulas ex epiſtolis Summorum Pontificum proponere, quibus Prælati judicarent, & inferiores viverent; non autem recenſere privilegia, aut beneficia ex peculiaribus cauſis conceſſa: unde recte advertit Panormit. in præſenti, *numer.* 14. quod licet in antiqua collectione legeretur *Gregorius VIII. univerſis Chriſtianis*, vel ut habet Anton. Auguſtinus *in ſcholio, dict. cap.* 4. Omnibus Chriſtianis; omiſit tamen B. Raymundus ea verba, *omnibus Chriſtianis*, quia tempore, quo ſcripta fuit præſens epiſtola, relaxatio juramenti conceſſa fuit in vim privilegii omnibus proficiſcentibus ad bellum ſacrum; hodie autem non conceditur talis relaxatio in vim privilegii; ſed generaliter in odium pravitatis uſuræ, quæ non a privatis, ſed ab Ordinariis in ſuis diœceſibus judicanda eſt: ideoque præſens deciſio non dirigitur ad ſubditos ipſos ſed ad judices. Firmavit Eugenius III. *epiſt.* 1. pro expeditione Terræ ſanctæ, his verbis: " Quicunque vero ære præmuntur alieno, & tam ſanctum iter puro corde inceperint, de præterito uſuras non ſolvant: & ſi ipſi, vel alii, pro eis occaſione uſurarum adſtricti ſunt ſacramento, vel fide, eos Apoſtolica auctoritate abſolvimus." Illuſtrat, & plura congerit de hac peregrinatione Hieroſolymitana Pater Theophil. Raynaud. *tom.* 15. *in Heteroclita ſacra punct.* 9. *per totum*. Omiſit etiam Raymundus in hac collectione rationem adductam a Gregorio VIII. in illis verbis: " Ne creditores ad uſuras ſibi ſolvendas in manifeſtum periculum animarum juramento debitores adſtringant:" forſan ſequutus ſtilum Conciliorum, in quorum canonibus tantum præcepta ſine ratione ponuntur, quia ſubditis circa ſuperioris præceptum ſolidum fundamentum eſt *Ipſe dixit*, *lege ſecunda Codic. de crimin. ſacrileg.* Ex quibus etiam apparet, perperam nonnullos conjunxiſſe hanc deciſionem cum capite *debitores* 6. *hoc titul.* cum prorſus diverſæ deciſiones ſint, continent enim remedium duplex, alterum in præſenti, videlicet ut prius quam dies veniat ſolvendæ uſuræ, adiri poſſit judex Eccleſiaſticus, ejuſque officium implorari, ut creditorem compellat cenſuris ad relaxandum juramentum de uſuris ſolvendis præſtitum: alterum *in dict. capit. debitores*, ſcilicet ut cum dies advenerit ſolutionis, quo interpellatus debitor non poteſt uſuras negare, quin incidat in crimen perjurii, ſed debet eas ſolvere, ut juramento ſatisfaciat, poſtea tamen repetere eas poſſit, ut notavit Læl. Mancinus *genial. centur.* 3. *capit.* 219. unde relaxatio ex hoc textu petenda eſt, antequam dies ſolutionis veniat; nam adveniente die, cum jam teneatur juramentum implere, tantum poteſt uti remedio textus *in dict. capit. debitores*.

3 c *Hieroſolymitana*.) Gregorius VIII. antea dictus Albertus de Mora, Ordinis Divi Benedicti, licet per duos tantum menſes Eccleſiam gubernaſſet, his diebus ſuæ pietatis digna monumenta reliquit, cum in primis pro ſubſidio Terræ ſanctæ ad univerſos Chriſti fideles litteras dedit tanto Pontifice dignas; quibus etiam indixit ad placandum offenſum Numen jejunium quinquennale, ita ut toto tempore eo cuncti fideles, ſaltem per omnes ſextas ferias jejunium obſervarent. Refert Baronius *anno Chriſti* 1187.

d *Sublato*.) Quaſi dicat Gregorius, contradictione ſeu appellatione uſurarii non obſtante, debet uſurarius relaxare juramenta, *c. cum tu* 5. *c. quam pernicioſum* 11. *de uſuris*. Sed in præſenti caſu, qui petit juramentum relaxari, id poſtulat, ut vitetur exactio uſurarum, quæ nulla ratione probari, aut honeſtari valet: unde non admittitur uſurarii appellatio, cum nihil in ſecunda inſtantia allegare poſſit, quod exactionem uſurarum admitteret.

e *Diſtrictionis*.) Ideſt excommunicatione; ſic enim vocatur excommunicatio *in c. nuncios, de decimis, capite adverſus, de immunit. Eccleſ.* Illuſtrant Theophilus Raynaud. *t.* 14. *tractatu de litteris monitoriis*, 2. *part. cap.* 8. *per tot.* & merito, quia ut docet Sayrus *l.* 3. *theſauri*, *c.* 3. *num.* 3. excommunicatio hominum contumaciam, ne longius erumpat, quaſi vinculo quodam conſtrictam, & ligatam tenet; etſi Panormitanus in præſenti, *num.* 14. exiſtimaverit, uſurarios eſſe cogendos relaxare juramenta ſub pœna temporali, præcipue ſi uſurarii Judæi eſſent. Verum etiam hoc caſu excommunicationem imponi poſſe certum eſt, & probatur *in cap. poſt miſerabilem* 12. *cap. penult. de uſuris*: per eam enim excommunicationem, non tam ipſis Judæis communicatio inhibetur, quam fidelibus cum eis communicantibus, juxta textum ita intelligendum *in cap. de terris, de decimis*; docent Aragon. 2. 2. *quæſt.* 10. *art.* 9. Marquardus *tract. de Judæis*, 2. *par. cap.* 5. *num.* 4. poteſt enim Eccleſia Judæo pœnam temporalem imponere, *cap. ſæpe* 28. *quæſt.* 1. *cap. in Archiepiſcopatu, de raptor.* Quærit tamen Gloſſa penult. in præſenti, qua poteſtate procedant judices in hoc caſu; delegata, an vero ordinaria? Nam ſi ut delegati procedant, ab eis non appellatur ad Metropolitanum, vel alium judicem Romano Pontifice inferiorem, *cap. ſuper quæſtionum*, §. *porro*, §. *ſi vero*, & §. *final. de offic. deleg. cap. licet, verſ. Tanquam, de offic. ordin.* Et reſpondet Panormit. *hic*, *num.* 11. procedere ex poteſtate ordinaria. Primo quia cum id ſit commiſſum Epiſcopis, cenſetur commiſſum ratione ordinariæ juriſdictionis, & dignitatis, *l. annua*, §. *Attia*, *ff. de annuis legat. cap. requiſiti, de teſtam.* & ita cuilibet Epiſcopo in ſua diœceſi, *cap.* 2. §. *ſtatutis, de conſtit. l.* 6. Secundo quia quando Pontifex aliquid committit judici ordinario, non videtur indubium eum delegatum conſtituere, ſed tantum excitare ejus juriſdictionem, *d. c. licet juncto c. cum aliquibus, de reſcriptis lib.* 6. unde Panormitanus *d. num.* 14. deducit rationem, quare cum epiſtola in hoc textu relata miſſa eſſet a Gregorio omnibus Chriſtianis, in hac collectione omiſit B. Raymundus verba, *Omnibus Chriſtianis*; quia tempore, quo eam Gregorius reſcripſit in formam privilegiis, talis relaxatio omnibus Prælatis tanquam S. A. Legatis commiſſa fuit; at cum B. Raymundus prædicta verba compilavit, non ut privilegium in favorem fidelium, ſed in odium pravitatis uſuræ relaxatio ex poteſtate ordinaria fiebat: quare omnibus Prælatis ordinariis facultas relaxandi hujuſmodi juramenta competit. 4

C O M M E N T A R I U M.

EX præſenti Gregorii VIII. conſtitutione ſequens deducitur diſputanda aſſertio: " Diſtrictione Eccleſiaſtica compelli poteſt creditor ad relaxationem juramenti, cujus implementum continet turpitudinem ex parte ſuſcipientis." Probant eam textus *in cap. tua* 13. *juncto cap. quia in omnibus, cap. ſuper eo, de uſuris, c. ſignificante, de pignor. c. cum contingat* 28. *hoc tit. cap. licet* 2. *eod. tit. in* 6. *l. fin. ff. qui ſatiſdar. l. fin. in princip. ff. ad municip.* Illuſtrant ultra congeſtos in præſenti a Barboſa *in collect. & ſelect.* Balboa & Garanna *hic*, Cujacius *ad hunc textum*, Germonius *lib.* 3. *de ſacrorum immunit. c.* 21. *n.* 178. Fachineus *l.* 3. *controv. c.* 13. *&* 18. & *l.* 8. *c.* 82. Suarez *de relig. t.* 2. *l.* 3. *de juram. c.* 39. *&* 41. P. Gregorius *lib.* 50. *ſyntagm. cap.* 5. *num.* 7. Guttierez *de juram.* 1. *p. cap.* 2. 5 Concluſio probatur.

Verum hæc aſſertio difficilis redditur ſequenti juris conſideratione. Obligatio jurisjurandi provenit a jure divino, & ejus vinculum conſtringit etiam promittentem uſuras, *c. debitores* 6. *cap. ad noſtram, hoc tit.* ergo per Prælatum Eccleſiaſticum non poteſt tale juramentum relaxari, argumento textus *in capit. ſunt quidam* 25. *quæſt.* 1. *cap.* 1. *de cauſa poſſeſſ.* facit ratio textus *in capit. cum inferior, de majorit. & obed.* & ſi tantum jurisjurandi obligatio eſſet juris poſitivi, adhuc relaxari non poſſet ab Eccleſiæ Prælatis, ſiquidem jus alteri ex obligatione quæſitum, Principis auctoritate tolli non poteſt, *lib.* 2. *C. de proc. Imper. offer. l.* 2. *C. de fund. rei domini*. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo: nam juramenti relaxatio ad Summum Pontificem ſpectat, *c.* 2. 18. *q.* 6. *c. venerabilem* 34. *de elect. cap. ſi vero* 8. *capit. verum* 11. *hoc tit.* & merito, ex his, quæ tradit Pontifex *in cap. per venerabilem, verſ. Si difficilius, qui filii ſint legitim.* ſed in præſenti relaxatio juramenti committitur Epiſcopo, imo & facultas compellendi creditorem ad relaxationem ipſius: igitur non recte, & ſecundum juris principia id ſtatuit Gregorius VIII. Augetur ſecundo hæc difficultas ex eo; nam fruſtra quis petit, quod antea habet, *cap. examinata* 15. *de judic.* ſed debitor uſurarum poteſt compellere creditorem, ut ab eo uſuras, non exigat, & ſi jam eas ſolvit, poteſt repetere, *cap. tuas* 13. *de uſuris*; ergo ſuperfluo, & inutiliter petit relaxationem juramenti: præcipue cum illi, cui conceditur repetitio, facilius concedatur retentio, *l. pure*, §. *fin. ff. de doli except.* 6 Impugnatur tradita aſſertio.

Qua difficultate ita fulcita non obſtante, vera eſt præſens aſſertio, pro cujus expoſitione ſciendum eſt, quod licet jure Cæſareo ex juramento non daretur actio, ſicut nec ex pacto nudo, 7 Ex juramento an detur actio

do, argumento legis *Stichum* 95. §. *naturalis*, *ff. de ſolut.* imo nec naturalis, aut ſimilis obligatio parti acquireretur, *leg. ſi quis pro eo, ff. de fidejuſſor.* docent Cujacius *leg.* 22. *obſerv. c.* 7. Fachineus *l.* 3. *controv. c.* 12. Corraſius *in l. admonendi* 51. *ff. de jurejur.* Forcatul. *in Neciom. dial.* 53. Fortunius Garcia *in c.* 1. *de pact.* Donel. *in comment. ad tit. de jurejur. c.* 1. *n.* 2. Oſuald. *ad ipſum, lib.* 24. *comment. c.* 9. *litt. C. & E*, late D. Matth. Guerra *in repetit. ad* §. *item ſi quis poſtulante, Inſtit. de action.* Treutl. *volum.* 1. *ſelect. theſi* 2. *litt. A*, Mendoza *de pactis l.* 1. *diſp.* 4. *ex num.* 17. ſiquidem juramentum promiſſorium nihil aliud eſſentialiter involvit præter juratam pollicitationem Deo factam, cujus emolumentum alias perſonas ſecundario reſpicit. Pollicitatio autem nec pactum, nec conventio eſt, *l.* 3. *ff. de pollicit.* Cujacius *lib.* 26. *obſervat. c.* 19. Goveannus *in l.* 5. *ff. ad leg. Falcid.* Oſuald. *lib.* 14. *Donelli, c.* 6. *litt. B. M. A.* Galbanus *de uſufruct. lib.* 1. *c.* 4. exceptio juramenti operarum a liberto tempore manumiſſionis præſtito, ex quo actio naſcebatur, *leg. ut jurisjurandi* 7. *cum ſequenti, ff. de operis libert. leg. ſervum* 36. *ff. de manumiſſ. teſtament. leg. Stichus* 24. *ff. de ſtatulib. leg. ult. ff. de liber. cauſ. leg. ſi quis pro eo* 56. *de fidejuſſ.* Gajus *lib.* 2. *inſtitut. tit.* 9. §. *verbis*. Quæ obligatio ex verbis oriebatur, ideoque & per acceptilationem tolli poterat, *l. & per jusjurandum* 13. *ff. de acceptil.* nulla præmiſſa ſtipulatione Aquiliana, ut male ſuppoſuit præceſſiſſe in eo textu Oſualdus *lib.* 4. *Donelli, c.* 36. *litt. G*, quæ eſt ratio textus *in leg.* 6. §. *ſi quis, ff. de confeſſis*, ubi ſupponitur libertum per hujuſmodi juramentum obligari non poſſe, ſi patronus eſt abſens: quia videlicet inter abſentes verborum obligatio non contrahitur, *leg.* 1. *ff. de V. O.* proſequuntur Revardus *in l. in perſonam, ff. de R. I.* Pichardus *in princ. Inſtit. de acquiſit. per adrog. n.* 66. Donellus *lib.* 2. *comment. c.* 18. ubi Oſualdus *litt. K*, Faber *lib.* 9. *conject. c.* 18. P. Barboſa *in leg. ſi conſtante* 25. *n.* 85. *ff. ſolut. matrim.* Bertrandus *de jure liber. c.* 11. Magnus Præceptor D. Franc. Ramos *in rubric. de V. O. ex n.* 1. *uſque ad* 6. ubi exponit locum Caji, ſeu Ammiani illius Epitomatoris *l.* 2. *tit.* 9. §. *item*, ubi ſcribitur, libertum jurantem, non tam verborum ſolemnitate, quam juramenti religione teneri. Iure vero canonico ex juramento promiſſorio efficax obligatio naſcitur, juxta veriorem ſententiam, & ex ea actio datur, *c. debitores* 6. *c. ſi vero* 8. *c. cum contingat* 28. *hoc tit. c. licet mulieres, eodem tit. in* 6. *c. quamvis pactum, de pactis in* 6. *c. fin. de foro competen. eodem lib. reg. non eſt obligatorium, de R. I. eodem lib.* docent Covarr. *in c. quamvis*, 1. *part.* §. 2. *n.* 4. *&* 5. Guttierez *de jurament. confirm.* 3. *parte, c.* 34. *a n.* 2. Padilla *in l. ſi quis major, n.* 74. *Cod. de tranſact.* Molin. *t.* 1. *de juſtitia, diſp.* 150. & *diſp.* 256. quod diſcrimen inter jus canonicum, & civile agnovit noviter Cironius *in c.* 2. *hoc tit. in* 4. *compil.* licet illud non agnoſcant Fortunius *in c.* 1. *de pactis, nu.* 26. Corraſius *in l. admonendi, in præludiis, n.* 17. *ff. de jurejurand.* Fachineus *lib.* 3. *controv. c.* 12. contendentes, ex juramento tantum officium judicis competere: unde juxta ſupra tradita conſtat, juramentum quodlibet, quod ſine diſpendio ſalutis æternæ ſervari poteſt, eſſe adimplendum, *d. c. debitores, d. c. cum contingat, d. c. licet mulieres*, D. Thomas 2. 2. *q.* 89. *art.* 7.

8 Obligatio jurisjurandi quomodo ſolvitur. Secundo ſciendum eſt, obligationem hanc juramenti tolli poſſe, aut impediendo illam ab initio, ut *in l. juris gentium*, §. *ſi paciſcar, verſ. Generaliter, ff. de pactis, lege ſi quis pro eo, ff. de fidejuſſ. c. ſicut* 3. *cap. quanto* 18. *cum ſequenti, hoc titul.* Trident. *ſeſſ.* 25. *de regul. c.* 16. vel jam natam evacuando, quod quinque modis accidere poteſt, videlicet mutatione materiæ, condonatione, commutatione, irritatione, & diſpenſatione, quæ relaxatio appellatur. Mutatione materiæ finitur obligatio juramenti, ſi eventus reddit rei juratæ implementum impoſſibile, aut ita difficile, ut ſi ille, qui juravit difficultatem agnoſceret, non ita juraret; tunc enim jurans non tenetur ſtare juramento, *c. querelam* 10. *c. brevi* 17. ubi notat Panormit. *n.* 4. *c. Quintavallis* 23. *cap. quemadmodum* 25. *hoc tit.* docet Toletus *lib.* 4. *ſummæ, c.* 22. Carolus de Graſſis *t.* 2. *deciſ. lib.* 2. *c.* 2. *nu.* 8. Sayrus *in Clavi Regia, l.* 5. *c.* 7. *n.* 8. juramentum enim intelligitur rebus ſic ſtantibus, *d. c. quemadmodum*: docet Seraphinus *de privil. juram. privil.* 49. *n.* 9. ad id expendens textum *in leg. quod Servius, ff. de condict. cauſa data*. Idemque procedit, ſi juramentum reddatur illicitum, *c. quanto* 18. cum ſequenti, *hoc tit.* quia venit obligatio ad caſum, a quo incipere non poterat, *lege pluribus* 140. §. *& ſi placeat, ff. de V. O.* Condonatione etiam ceſſat juramenti obligatio, ideſt remiſſione facta ab eo, in cujus favorem, & gratiam præſtitum eſt, *l. fin. ff. qui & a quibus, c.* 2. *de ſponſal.* docent Germonius *l.* 2. *animadv. c.* 5. Martha *de juriſd. p.* 4. *centur.* 1. *caſu* 72. *n.* 23. in omni enim promiſſione jurata ineſt conditio; ſi aliter is, in cujus favorem præſtitum eſt, voluerit illud ſervari, *d. l. fin.* Suarez *de relig. t.* 2. *tr.* 4. *lib.* 2. *c.* 39. *n.* 1. P. Surdus *conſil.* 364. *n.* 25. ſeu, ut *in leg.* 2. *ff. de in diem addict.* juramentum purum reſolvitur in conditionale, quod fit a lege, ut in caſu relato a Papiniano *in l. cum avus* 100. *ff. de condit. & demonſtr.* deinde quia ubi principaliter utilitas partis vertitur, Deo non eſt quæſita obligatio, ſed tantum eſt vocatus in teſtem ad confirmandam veritatem promiſſam: & quemadmodum in contractibus humanis ſine ulla injuria teſtium partes communi conſenſu diſſentiunt a contractu, & alter alteri remittit obligationem, *l. a venditione, ff. de pactis*; ita etiam poſſum remittere juramentum ſine injuria Dei vocati in teſtem. Accedit, quia Deus in teſtem vocatus juramentum ratum, & acceptum habet in commodum & favorem partis, & proinde ea condonante, remittit Deus. Commutatione etiam tollitur obligatio juramenti, ſi ille, cui factum eſt, ſinat aliud loco illius, quod promiſſum eſt, præſtari, *l.* 2. §. *mutui, ff. de rebus creditis*, Suarez *ubi ſup. n.* 5. facta tamen commutatione non tenetur jurans ex vi juramenti ad illud præſtandum, in quo facta eſt, quia illud juramento non promiſit; ſed tenetur ex pacto, quo illud loco alterius promiſit, ut in ſimili dicitur *in l.* 1. *ff. de novat.* Deinde irritatione tollitur obligatio juramenti promiſſorii, quando ejus materia ſubeſt alterius poteſtati, *c. pueri* 15. ubi notat Gloſſa, 22. *q.* 5. *c. pervenit* 1. *c. tua nos, hoc tit.* quia in juramento ſemper intelligitur excepta auctoritas ſuperioris, ut *in c. venientes* 19. *hoc tit. cap. Florentinum*, 85. *diſt.* docent Suarez *d. c.* 38. *n.* 4. Sanchez *d. l.* 3. *c.* 2. *n.* 19. Et illi omnes, qui habent poteſtatem irritandi vota ſubditorum, quales ſunt parentes, domini, mariti, Prælati Religioſorum, poſſunt juramenta Deo præſtita irritare eodem prorſus modo, & in eiſdem caſibus, quia juramenta votorum ſapiunt naturam, & unum ſub altero comprehenditur: docent Armilla *in ſumma, verbo Juramentum*, Tabiena *verbo Jurare, q.* 19.

Succedit relaxatio juramenti, de qua agitur in hoc textu: & illa valde differt a commutatione, & irritatione, quia per relaxationem tollitur omnis obligatio juramenti, per commutationem autem minime, ſed ejus obligatio in aliam materiam transfertur. Similiter irritatio pertinet ad poteſtatem dominativam, nullaque indiget cauſa: at relaxatio pertinet ad poteſtatem eccleſiaſticam, & requirit juſtam cauſam. Differt etiam a condonatione, quia condonatio fit a parte a qua omnino obligatio juramenti aboletur, *l. fin. ff. qui, & a quibus*, igitur relaxatio locum habet in juramento promiſſorio, non vero aſſertorio: in aſſertorio enim non poteſt dari relaxatio, quia ut recte notarunt Henricus *in c. ſi vero, num.* 2. *hoc tit.* Graffis *l.* 2. *caſuum, cap.* 32. *n.* 6. materia juramenti aſſertorii, cum ſit de præterito, vel præſenti actu, immutabile efficit juramentum, quandoquidem ſtatim eſt verum, vel falſum, *l. cum ad præſens* 37. *ff. de rebus credit.* & ſic relaxatio illud mutare nequit, *l. in bello*, §. *facti, ff. de captivis*. Facit textus *in c. ſi Paulus* 11. 32. *qu.* 1. In promiſſorio autem eſt duplex veritas, una de præſenti, conſiſtens in hoc, ut jurans quando jurat, verum dicat, ideſt intentionem habeat adimplendi quod promittit: quia jurandi actus coincidit cum actu juramenti aſſertorii, ac proinde etiam indiſpenſabilis eſt: altera veritas eſt de futuro, ideſt ut id, quod juramento promiſit, faciat eſſe verum adimplendo promiſſionem, quod cum variari poſſit, ita ſcilicet, quod in aliquo eventu reddatur illicitum, & per conſequens non debita juramenti materia, ideo in tali juramento promiſſorio cadit relaxatio reſpiciens materiam juramenti, ut ſicut prius per promiſſionem tenebatur obſervare juramentum, auctoritate ſuperioris liberetur ab illa obligatione, ut probant in voto textus *in c.* 1. *&* 2. *c. magnæ, de voto*, reſolvunt Covar. *in c. quamvis pactum*, 1. *p.* §. 3. *n.* 9. Germon. ubi ſupra. 9 De relaxatione juramenti.

Relaxationem autem iſtam facere poteſt in omni juramento R. Pontifex, ceſſante præjudicio tertiæ perſonæ; ſi enim juravi creditori meo pecuniam ſolvere, aut alicui privato juramento præſtito ſuper aliquo contractu, vel conventione, non poteſt R. Pontifex regulariter hujuſmodi juramentum ſine conſenſu ejus, in cujus favorem præſtitum eſt, relaxare, cum non debeat tertio præjudicium irrogare. Sotus *de juſtitia l.* 8. *q.* 1. *art.* 9. *ad* 3. Suarez *d. lib.* 1. *de juramen. c.* 21. *n.* 2. Exiſtente autem juſta cauſa poteſt Princeps ſubditum ſuo jure privare, *l. item ſi* 15. §. *item ſi, ff. de R. V. l. Lucius* 11. *ff. de evict.* & ideo poteſt juramentum relaxare, ut in præſenti caſu contingit, ubi in odium uſurarii, & favorem creditoris privat Summus Pontifex ſubditum jure quæſito ex juramento; & etiam *in c. venerabilem* 34. *de elect.* Ex eadem etiam auctoritate ad ſummum Pontificem ſpectat relaxatio juramenti confirmantis ſtatuta Eccleſiarum, Univerſitatum, Collegiorum, vel præſtiti ab aliqua inſigni perſona, veluti Imperatore, & Rege non recognoſcente ſuperiorem, maxime in arduis negotiis. Sic enim relaxatum fuit a Summo Pontifice juramentum Ducis Caringiæ *in d. c. venerabilem* 34. Regis Aragoniæ *in c. quanto* 18. *hoc tit. c.* 3. cum duobus ſequentibus, 15. *q.* 6. *cap. ad Apoſtolica, de re judic. lib.* 6. & aliis caſibus congeſtis a Sanchez *l.* 3. *in præcept. Decal. c.* 12. *n.* 11. Arias a Meſa *lib.* 3. *var. c.* 30. Delbene *de Parlamentis, c.* 2. *ſect.* 42. Prado *t.* 2. *Theolog. Mor. c.* 32. *q.* 7. Germonio *animadv. c.* 9. Pontifex, ſeu ejus Nuncius relaxant juramenta parte non citata, Epiſcopus vero, ſeu ejus Vicarius, ea vocata. Paz *in praxi*, 2. *t. prælud.* 2. *n.* 8. Singuenza *l.* 1. *de clauſ. c.* 2. *n.* 11. *q.* 25. licet idem in Ordinariis admittat Valenzuela *conſil.* 148. *ex n.* 76. Rouſſel. *l.* 1. *hiſtor. Pont. juriſd. c.* 6. *n.* 2. Mag. Præcept. D. Franc. Ramos *in memor. de Alex. VII. in princ. n.* 141. *fol.* 26. Circa Epiſcopos autem illa regula conſtituenda eſt, ut videlicet poſſint relaxare juramenta in his caſibus, in quibus poſſunt relaxare vota. Suarez *ſup. n.* 5. Ratio eſt, quia vinculum juramenti levius eſt vinculo voti: unde quicumque a voto poteſt abſolvere, valet & juramentum relaxare: unde recte docuerunt Felinus *hic*, *num.* 18. & alii repetentes in præſenti ſpecie, relaxationem fieri poſſe per Epiſcopum: quod poſtea in ſolutione dubitandi rationis illuſtrabimus. 10 De his qui relaxare poſſunt.

Circa judicem autem ſæcularem, an poſſit in præſenti caſu, & ſimilibus gratiam facere jurisjurandi, non conſentiunt juris Interpretes. Negativam tamen ſententiam tuentur 11 De jure ſæculari.

in hoc textu Felinus *num.* 21. & *in cap.* 2. *num.* 3. *de ſponſ.* Butrius *hic*, *n.* 2. Anania *n.* 3. Guttierez *in authentica Sacramenta*, *n.* 4. *Cod. ſi adverſus vendit.* Azevedo *in l.* 11. *nu.* 3. *tit.* 1. *lib.* 4. *nova recopil.* Azor *dict. c.* 9. *q.* 6. Martha *de juriſd. part.* 4. *c.* 72. & alii congeſti a P. Barboſa *in l.* 1. *part.* 1. *n.* 7. *ff. ſolut. matrim.* pro quibus faciunt textus *in d. cap. venerabilem* 34. *de elect. c. quanto* 18. *hoc tit. c. novit*, *de judic.* ubi pro juramenti relaxatione, vel obſervantia recurritur ad R. Pontificem. Deinde quia juramenti cauſa, ſeu cognitio pertinet ad judicem Eccleſiaſticum, *d. c. novit*, *c. fin. de foro compet. in* 6. *l.* 58. *tit.* 6. *partit.* 1. nec laicus de ſpiritualibus cognoſcere valet, *c.* 2. ubi probavi, *de judic.* igitur nec juramentum relaxare. Affirmativam autem ſententiam, videlicet judicem ſecularem poſſe juramentum relaxare, docuerunt Guido Papæ *deciſ.* 278. *n.* 3. Gaillus *l.* 1. *practic. c.* 25. *num.* 2. Molina *de juſtit. t.* 2. *diſput.* 149. Thom. Delbene *de Parlamentis*, *c.* 3. *ſect.* 39. Pro quibus faciunt textus *in l. fin. ff. ad municip. l. adigere* 6. §. *fin. ff. de jurepatr.* ubi probatur, Principem poſſe facere gratiam jurisjurandi: probavit Beſoldus *in deliberat. juris ex lib.* 1. *Pandect. fol.* 87. In qua opinionum varietate recte diſtiguunt Suarez *dict. c.* 41. *nu.* 16. Sanchez *d. c.* 22. *n.* 15. Fortunius *de ult. fine*, *n.* 341. Anſaldus *de juriſd. p.* 2. *tit.* 10. *c.* 15. Oſvaldus *ad Donel. lib.* 24. *c.* 13. *lit. H.* inter relaxationem juramenti per modum diſpenſationis, & abſolutionis, quæ directe tendit ad tollendum vinculum, propter dubium ortum, an licitum ſit, vel non, quæ remiſſio fit ex parte Dei potius quam ex parte hominis: & inter relaxationem, quæ fit per modum condonationis ex parte hominis, cui promiſſum erat. Primo caſu relaxatio tantum fieri poteſt per poteſtatem ſpiritualem, ſecundo vero caſu verum eſt, poſſe ſæcularem poteſtatem intra ſuos limites in re mere temporali, & quoad perſonas laicas relaxare juramentum faciendo condonationem debiti, ſicut fieri poſſet per privatam perſonam, in cujus favorem præſtitum erat. Sicut enim in venditione judiciali lex juſtis ex cauſis ſupplet domini conſenſum, & obligat ipſum ad evictionem, non aliter quam ſi ipſe vendidiſſet, *l. ſi ob cauſam* 13. *C. de evict.* ita eodem modo quando pars tenetur relaxare juramentum, & renuit, poteſt judex ſæcularis ejus ſupplere conſenſum, & remittere juramenti obligationem, ut docet Guttierez *in authent. ſacramenta*, *n.* 182. *C. adverſus vendit.* Avendanno *de exeq. mand.* 2. *p. c.* 27. *n.* 15. qua diſtinctione retenta non obſtant textus pro affirmativa ſententia adducti. Non lex finalis, *ff. ad municip.* Nam omiſſa ſolutione Sebaſtiani Nævii *ibi*, *n.* 1. quam refellit Levinus Torrentius *ad Svetonium in Tiber. c.* 35. dicendum eſt, apud Romanos, Principes potuiſſe facere gratiam jurisjurandi, non tam auctoritate Principali, quam Pontificali: ſiquidem utramque exercebant, & retinebant, ut probant late Bulengerus *de Imperat. lib.* 1. *c.* 13. Revardus *libr.* 5. *variar. c.* 2. Unde eorum juſſu res conſecrabantur, *leg. ſacra* 9. §. 1. *ff. de rer. diviſ. l. fin. ff. ut in poſſeſſ. legat. l. hereditas* 50. *ff. de petit. heredit.* ibi: *Principali, vel Pontificali auctoritate.* Et cadaver de loco in locum transferebatur, *lege oſſa* 8. *in princ. ff. de relig. dom.* notarunt Cujacius *in l. in tantum*, §. *ſacra*, *ff. de rerum diviſ.* Beroaldus *ad Svetonium in Julio*, *c.* 13. Germonius *l.* 1. *animadv. c.* 8. *n.* 6. & nos *in c.* 2. *de judic.* Unde ex eadem auctoritate jurisjurandi gratiam faciebant. Cicero *l.* 2. *de legib.* probat Gutherus *de jure Pontif. l.* 2. *c.* 3. Gothofredus *in l. fin. ff. qui ſatiſd.*

13 Exponitur leg. adigere, §. fin. ff. de jurepatron. Nec obſtat textus *in d. l. adigere* 6. nam in ejus ſpecie juramentum non relaxatur, ſed potius remittitur lege Julia, & Papia, juſta ex cauſa videlicet, quia conditio onerandæ libertatis cauſa in manumiſſione adjecta rejicitur; *l.* 1. §. *quæ onerandæ*, *ff. quarum rerum actio*, unde cum juramentum a liberto præſtitum de uxore non ducenda oneret libertatem, ideo remittitur ex lege Julia, ut latius proſequuntur Samuel Petitus *ad jus Atticum fol.* 183. Arias de Meſa *l.* 3. *var. cap.* 30. Poteſt etiam reſponderi, in eo textu potius prohibêri juramentum interponi, quam jam interpoſitum relaxari: valet enim lex civilis prohibere, ne juramentum interponatur in aliquo actu temporali, *lege quæ ſub conditione* 8. §. *ſi quis*, *ff. de condit. inſtit. leg. non dubium*, *C. de legib. leg.* 2. *C. de indicta viduit.* docent Covar. *in c. quamvis pactum*, *Parag.* 3. *p.* 1. *n.* 8. Barboſa *in d. l.* 1. *p.* 1. *n.* 72. unde deducitur ratio textus *in l.* 11. & 12. *tit.* 1. *lib.* 4. *recopil.* ubi prohibetur, juramentum interponi in contractibus; & ſi interponatur, remittitur: quod non procedit ex privilegio Regibus Hiſpaniæ indulto, ut voluit Velaſcus *conſult.* 99. *n.* 3. ſed quia prædicta lex facta fuit ad tuitionem juriſdictionis ſæcularis; nam cum propter juramentum negotium, cui adjicitur pertineat ad forum eccleſiaſticum, recte potuit Princeps inhibere vaſſallis ſuis, ne prætextu juramenti prorogarent juriſdictionem judicis Eccleſiaſtici, ut reſolvunt P. Barboſa *dict.* 1. *parte*, *n.* 73. & 74. Petrus a Ledeſma *t.* 2. *ſummæ*; *tr.* 11. *c.* 4. *dub.* 2. & eo caſu lex ſæcularis tantum impedit obligationem contractus, & per conſequens materiam, cui accedat jusjurandum, ſicut Eccleſia in matrimonio clandeſtino non irritavit matrimonium, ſed tantum irritando contractum ſuſtulit materiam, quæ elevaretur ad eſſe ſacramenti. Tridentin. *ſeſſ.* 24. *de reform. c.* 1. Et licet alias ex contractu jurato detur executio, Collerius *de proceſſ. part.* 3. *c.* 2. *n.* 11. tamen contractus, in quo prohibitum eſt juramentum adhiberi, paratam executionem non habet, ut docent Roder. Suarez *in l. poſt rem*, in declaratione legis regni, *limit.* 10 *n.* 1. Guttierez *de juram. p.* 1. *c.* 62. *n.* 5. Paz *in praxi*, *t.* 1. *p.* 4. *c.* 3. *n.* 25. Nec tandem obſtat textus *in d. l. fin. ff. de re milit.* qui non loquitur de relaxatione, ſed de condonatione juramenti militaris, quam laicus facere poteſt.

14 De judice proprio relaxationis. Non tamen levis controverſia eſt, a quo judice facienda eſt juramenti relaxatio, cum contrahentes ſunt diverſæ juriſdictionis. Cardinalis *in præſenti*, *n.* 1. *verſ. quæro*, Suarez *d. c.* 41. *n.* 10. affirmant, poteſtatem relaxandi eo caſu competere tantum Prælato ejus, in cujus favorem præſtitum eſt. Illis accedit P. Molina *de juſtitia & jure*, *diſp.* 549. *column.* 6. tenens juramentum de uſuris ſolvendis præſtitum infideli, relaxari debere per ejus Principem. Moventur ſequentibus fundamentis. Primo, quia relaxatio juramenti in præſenti ſpecie in odium, & pœnam illius, in cujus favorem præſtitum eſt, ut alii ab exactione ſimilis juramenti ſe abſtineant, agnoſcentes ejus obligationem ab Eccleſia relaxari. Fit etiam relaxatio ad puniendum ipſum; pœna autem imponi non poteſt, niſi ab habente juriſdictionem in illum, in quem imponitur, *c.* 2. §. *ſtatuti*, *de conſtit. in* 6. ergo nec relaxatio juramenti. Contrarium tamen, imo hanc poteſtatem competere Prælato jurantis, tenuerunt Lapus *alleg.* 10. *n.* 5. & plures in ejus additionibus congeſti a Quintil. Mandoſio: moti primo, quia judex contractus, eſt judex diſtractus: & ſicut in contractu, ita etiam in diſtractu actor ſequitur forum rei, *l.* 2. *codice ubi & apud quem*. Igitur ſicut executio contractus erat petenda coram judice jurantis, ita etiam relaxatio juramenti. Secundo, quia in hac relaxatione tantum agitur de tollendo vinculo ſubditi, nec judex aliquid diſponit circa perſonam abſentis: igitur ſicut judex poteſt abſolvere reum ab impetitione abſentis, *l. properandum*, §. *ſin autem*, *C. de judic.* ita etiam poteſt in abſentia actoris reo juramentum relaxare. In quo Interpretum diſſidio rectius Felinus *in c. fin. nu.* 24. *de foro compet.* ſequutus a Thom. Sanchez *lib.* 3. *ſummæ*, *c.* 21. *n.* 35. ita diſtinguit: Quando ad relaxationem juramenti non deſideratur citatio partis, poteſt fieri relaxatio a Prælato ipſius jurantis, quia in eo caſu cum tertio non irrogetur præjudicium (alias citaretur, *c.* 1. *de cauſa poſſeſſ. & propriet.*) ſufficit judicialis poteſtas in jurante; ſi autem ad relaxationem deſideratur citatio partis, & abſens eſt ille, in cujus favorem juratur: ab ejus Prælato debet fieri relaxatio: quod & ad relaxationem in foro conſcientiæ faciendam extendit Th. Sanchez *ubi ſupra*, *n.* 36. Nec tunc obſtant fundamenta pro ſententia Cardinalis adducta. Non primum, cui reſpondetur relaxationem non fieri in modum pœnæ, ſed ut ait P. Suarez ubi ſupra, *n.* 10. triplici modo contingere poteſt. Primo ſi tollatur vinculum juramenti, remittente Prælato obligationem vice Dei: ſecundo per modum irritationis, prohibendo ſubdito, ne adimpleat promiſſum, tamquam illicitum. Tertio poteſt ei, in cujus favorem juratum eſt, jubere ne rem promiſſam exigat a ſubdito, quaſi impediendo ne afficiat eum damno, argumento textus *in leg. adigere*, §. *fin. ff. de jurepatron.* Nec ſecundum fundamentum obſtat, cui ſatisfaciendum eſt cum Thom. Sanchez *d. c.* 21. *n.* 35. ſeparando relaxationem a condonatione juramenti; nam relaxatio fit a Prælato tamquam Dei Vicario virtute juriſdictionis ſpiritualis, quæ deſideratur in jurante tantum: at vero in condonatione, cum juriſdictio exerceatur in eum, cui juratum eſt, loco illius condonando obligationem ipſi quæſitam, neceſſario facienda eſt a ſuperiore ejus, cui juratum eſt, ut etiam docet Molina *d. diſp.* 149. *column.* 6. Quod ſi adhuc ſciſciteris retinendo diſtinctionem Felini, quando citatio deſideretur ad relaxationem juramenti? Diſtinguo relationem juramenti quoad effectum agendi, a relaxatione obligationem ipſam annullante. Primo caſu poteſt fieri parte non citata; ſecundo vero neutiquam, ut docent Afflictis *deciſ.* 220 *n.* 1. Lapus *d. n.* 6. Joſeph Ludoviſ. *deciſ.* 18.

15 Ad relaxationem deſideratur cauſa. Deinde ſciendum eſt, ad relaxationem juramenti deſiderari cauſam, quia ejus vinculum non obligat ex jure humano, ſed divino, in quo Summus Pontifex ſine cauſa non valet diſpenſare, & ſicut ad commutationem voti cauſa deſideratur, *c.* 1. & 2. *c. magnæ*, *de voto*; idem in juramento dicendum eſt, ex regula textus *in c. tranſlato*, *de conſtit.* docent Sanchez *de matrim. lib.* 8. *diſp.* 20. & *lib.* 3. *ſummæ*, *c.* 19. *n.* 14. Rodriquez *in ſumma*, 1. *part. c.* 27. *n.* 4. deficiente autem cauſa, Deus relaxationi non conſentit, qui eſt præcipuus obligationis creditor, cum Prælatis Eccleſiæ dederit poteſtatem commutandi, ac relaxandi vota, ac juramenta in ædificationem, non vero in deſtructionem. Cauſas autem relaxandi juramentum recenſent Rodriquez *d. c.* 1. *c.* 27. *n.* 5. Sanchez *d. diſp.* 17. nimirum ſi turpitudo detur in juramento ratione materiæ, vel rei promiſſæ, ut in præſenti textu, & *in c. quanto* 18. *hoc tit.* Item ſi dolo, aut metu juramentum extortum ſit, *c. verum*, *c. ſi vero*, *hoc tit.* aut ſi gravius, & majus bonum faciendum occurrat, ut *in c.* 3. *hoc tit.* ſi temere, & inconſiderate juratum ſit, *c. tua nos* 24. *hoc tit.* & in ſimilibus caſibus. Unde cognoſcitur, in præſenti recte relaxari juramentum, ne uſurarius ex malignitate ſua commodum conſequatur. Similiter etiam infertur cum Joanne Guttierez *de juramento* 1. *p. c.* 53. *n.* 6. Flaminio *l.* 3. *de reſign. benef. q.* 1. *n.* 34. Thom. Sanchez *l.* 1. *de matrim. diſp.* 22. *n.* 12. in caſu textus *in d. c. debitores*, juſte peti poſſe relaxationem juramenti, antequam debitor ſolvendo liberetur; & ſi jam ſolverit, poſſe ipſum uſuras repetere.

16 Præſens textus intelligitur. Unde textum præſentem accipio ita, ut in eo conceſſa ſit relaxatio a Summo Pontifice, non tantum in una cauſa, ſed generaliter in omnibus cauſis Chriſtianorum, quibus Gregorius VIII. ſcribebat, ut ſupra in epigraphe notavi, ita ut cum conſtaret Prælatis Eccleſiæ de contractu uſurario, facere poſſent prædictam relaxationem contractum irritando. Secundo præſentem textum interpretor, ut in ejus ſpecie non fiat relaxatio juramenti ex judicis officio nobili, ut voluit Butrius *hic*, *n.* 5. ſed ex officio judicis mercenario, ut docuerunt Anania & Zabarella *hic*, *n.* 1. Immola *n.* 2. Alex. de Nevo *d. c. debitores*, *n.* 32. quia judex non debet imperiri officium ſuum ad utilitatem privatam, niſi parte petente, *l. hoc autem*, *ff. de damno infecto*. Accedit nam præſens epiſtola miſſa eſt univerſis Chriſtianis in vim privilegii, ita ut illis poſcentibus relaxatio juramenti de uſuris præſtandis per judicem Eccleſiaſticum fieret.

17 Traditur ratio decidendi. Quibus ita animadverſis, apparet vera ratio præſentis deciſionis, quæ provenit primo ex eo, ne juramentum continens injuſtitiam, & turpitudinem ex parte ſuſcipientis, & injuriam ex parte promittentis, effectum ſortiatur, contra juris principia, de quibus *in c. ſi vero*, *c. verum* 15. *hoc tit. c.* 1. *de his quæ vi*: docent Thom. Sanch. *dicto l.* 1. *de matr. diſput.* 32. *n.* 15. Secundo, quia quando per juramentum contractui adjectum nulla obligatio parti quæritur, ſed divino nomini, Prælatus ejus nomine poteſt illud relaxare, ut reſolvit Sanch. *l.* 3. *ſummæ*, *c.* 21. *n.* 26. ſed ex juramento de uſuris præſtandis facto nulla quæritur licita obligatio parti, *dicto capite debitores*, §. *ſi vero*, ergo Prælatus Eccleſiæ illud relaxando poteſt declarare materiam non fuiſſe aptam juramento. Accedit, nam propter publicam utilitatem, & in odium particulare poteſt juramentum relaxari, *c. quanto*, 18. *hoc tit.* docet Leſſius *l.* 2. *de juſtitia*, *c.* 42. *n.* 65. ſed in præſenti cauſa datur utilitas publica, ne fideles ad ſolutionem uſurarum vexentur, *c. cum in judices* 15. *de uſuris*. Igitur Eccleſia poteſt illud relaxare: prius autem monendus eſt ipſe creditor, ut relaxationem faciat; alias eo renuente Epiſcopus poteſt illud relaxare, ex ſupra traditis ne creditor contra juris rationem ex improbo actu lucrum conſequatur, contra textus *in leg. itaque fullo* 12. *ff. de furtis*, *c. intelleximus* 7. *de judic.* facit tandem, quia ſi uſurarum repetitio competit debitori, *d. c. debitores* 6. a fortiori concedenda eſt illi retentio, *leg. pure*, §. *fin. ff. de doli excep.* ex ratione textus *in l. fin. C. in quibus cauſis in integrum reſt.*

18 Deducitur dubitandi ratio. Nec obſtat dubitandi ratio ſupra expenſa; nam verum eſt, per relaxationem non tolli a Prælato Eccleſiæ vinculum juramenti, quod a jure divino provenit; ſed per ſubtractionem materiæ declarari id, quod cavebat ſub tali juramento, non obligare: in præſenti autem ſpecie facilius relaxatio admittebatur, quia ex juramento confirmatorio promiſſionis uſurarum non fuit jus quæſitum creditori, ſed Deo, *d. c. debitores* 6. ibi: *Cogendi ſunt Domino reddere juramenta.* Notavit Covar. *in c. quamvis*, 2. *par.* §. 3. *n. ult.* Imo nec ſecundario acquiri creditori obligationem, probat Sanch. *l.* 1. *de matrim. diſput.* 32. *nu.* 1. & ſi dicas in præſenti textu relaxari juramentum a parte: igitur quia illi jus quæſitum fuit. Reſpondeo, omiſſis traditis a Fortunio Garcia *in c.* 1. *n.* 72. *de pactis*, obligationem hujus juramenti ſoli Deo fuiſſe quæſitam, ſed ad utilitatem partis, unde fit, ut remittente parte remittat & Deus: & creditorem adſtringere ad relaxandum juramentum, aliud profecto non eſt, quam eumdem compellere, ut dimittat quod eo remittente ſimul Deus dimiſſurus eſt: creditore autem renuente relaxare, Prælatus illud relaxare poteſt, quia ex juſta cauſa, etiam in præjudicium tertii relaxari poteſt juramentum, ut ſupra dixi. Nec obſtat quod expendebamus, videlicet Pontificem tantum poſſe juramentum relaxare. Nam ut recte docuerunt Felinus *in præſenti*, Corneus *conſil.* 29. *vol.* 4. in præſenti ſpecie relaxatio poteſt fieri ab Epiſcopo: ſicut enim quando jus diſponit diſpenſandum eſſe in aliquo caſu, non tamen declarat, per quem ſit diſpenſandum, facultas diſpenſandi competit Epiſcopo, ex quo illi non eſt prohibita, *c.* 1. §. *final. de pœnit. tit.* 6. docet Gloſſa finalis per textum ibi, *in c. penult. de pœnis*, gloſſa 5. *in c. poſtulaſti*, *de cler. excom. miniſtr.* communiter recepta ſecundum Cov. *in c. Alma mater*, 1. §. 7. *n.* 8. ita a paritate rationis, quando jus diſponit relaxandum eſſe juramentum, non tamen declarat, per quem fiat relaxatio, dicemus competere Epiſcopo, eo quod illi non eſt denegata. Nec obſtat juris principium ſupra expenſum; nam ut docent Panormit. *hic*, *n.* 6. Felinus *n.* 8. Azor. *t.* 1. *inſt. l.* 11. *c.* 9. *n.* 7. illud procedit in juramentis ſua natura validis ab utraque parte; ſecus tamen ſi contineant turpitudinem ex parte ſuſcipientis; tunc enim ab Epiſcopo relaxantur, ut in præſenti ſpecie. Nec tandem obſtat argumentum deductum *ex d. c. tua nos*, *de uſuris*; nam reſpondetur, in ea ſpecie uſurarium compelli non poſſe uſuras, vel exactas reſtituere, quia debitor juraverat non ſolum uſuras ſe ſoluturum, verum ſolutas non repetiturum: quo caſu uſurarius cogendus eſt uſuras non petere, aut jam exactas reſtituere. Tuſc. *litt. I*, *concluſ.* 516. *n.* 13.

19 Intelligitur c. ſignificavit de cenſibus. Ex traditis pro ratione decidendi hujus textus, lucem accipit textus *in c. ſignificavit*, *de cenſib.* ubi recipiens juramentum de novo cenſu ab Eccleſia perſolvendo, cogitur relaxare juramentum, & jurantem ab ejus vinculo abſolvere; quia cum Epiſcopus non poſſit novum cenſum Eccleſiæ imponere, *c.* 3. *de cenſib.* quia ad id deſideratur auctoritas Pontificis, *capite ſuper quibuſdam*, §. *præterea*, *de V. S.* ideo in eo juramento deficiebat juſtitia, quæ deſideratur in quolibet juramento, *capite etſi Chriſtus* 26. *hoc tit.* unde ille, in cujus favore tale juramentum præſtitum eſt, cogitur illud relaxare.

C A P U T II.

Ex regeſtro a Gregorii.

PErvenit ad nos, *b* Laodicenſem Epiſcopum ab Arnulfo Comite rebus ſuis ſpoliatum, & ad nequitiæ ſuæ augmentum gladiis jurare compulſum, quod ablata nunquam peteret: & hujus tanti ſceleris veniam ſibi impartiri rogat. Cognita itaque contumelia ſibi in B. Petro illata, valde doluimus, aſſerentes ejus fraternitatem nullius juramenti vinculis poſſe *c* conſtringi, tamen quia nefandiſſima coactione juravit, cum Apoſtolica Auctoritate abſolvimus.

N O T Æ.

1 a *Gregorii.*) Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. c.* 9. & poſt Concil. Later. *p.* 7. *c.* 7. non tamen verba hæc reperiuntur in Regeſtro epiſtolarum D. Gregorii Magni: quare dicendum eſt cum Anton. Aug. *in notis ad hunc textum*, Gregorium, de quo in præſenti, eſſe Gregorium VII. qui *lib.* 7. *epiſt.* 13. Theodorico Verdunenſi Epiſcopo ſcribit in hoc textu, quem ex dicta prima collectione ita tranſcribo.

2 b *Laodicenſem.*) Laodicena triplex eſt, alia Siriæ, alia in Media, alia in Phrygia, contra Hierapolin, juxta fluvium Meandrum, ut refert Baronius *anno* 60. in his omnibus adeſt Cathedra Epiſcopalis, ut tradit Carolus a S. Paulo *in geograph. ſacr. pag.* 240. 252. & 300. Sed cum integra hujus textus careamus, non poſſumus firmiter aſſerere, de quo Laodicenſi Epiſcopo agatur in præſenti: niſi, ut verius credo, legendum ſit *Leodienſem*, quod ſuadet hiſtoria Germanica illius temporis, nunquam enim afflictior Germania fuit, dum peſſimis peſſimi patrocinabantur, & ſimonia, oppreſſioque Eccleſiarum toto Henrici Imperio dominabantur, antecedentibus graviſſimis bellorum fluctibus, ut refert Bucelinus *tom.* 1. *German. ſacr. in annal. an.* 175. quo etiam tempore Sanctus Beno Epiſcopus Miſnenſis, eo quod faveret Greg. VII. omnibus rebus ſuis fuit ſpoliatus, quod forſan idem contigit Epiſcopo Leodienſi. Unde hanc injuriam B. Petro illatam fuiſſe, refert Gregor. in præſenti, quia in odium ipſius Pontificis injuria irrogata fuerat.

3 c *Poſſe conſtringi.*) Sibi ipſi obloqui, & adverſari videtur Gregorius: ſiquidem his verbis negat Epiſcopum ullo juramenti vinculo obſtrictum eſſe, in fine tamen eum abſolvendum eſſe affirmat; nam abſolutio præſupponit vinculi obligationem, *c. ad diſſolvendum* 13. *de deſp. impub. l. de decem* 116. *ff. de V. O.* pro qua difficultate diſſolvenda Gloſſa, & Doctores varie accipiunt verba illa, *rebus ſuis*. Aliqui referunt ea ad res Eccleſiæ, & ita deducunt ex hoc textu, Prælatum jurantem non repetere res Eccleſiæ ſuæ vi ablatas, non obſtringi tali juramento: ita docuerunt in præſenti Abbas, & Felinus, Alexander de Nevo *n.* 6. Jacobatius *de Concil. l.* 7. *art.* 5. *num.* 212. Redoan. *de reb. Eccleſ. q.* 3. §. *de alienatione per emphyteuſim*, Caldeira *de error. pragm. l.* 2. *c.* 6. *n.* 7. Suarez *de relig. t.* 2. *tract. de juram. l.* 2. *c.* 10. *n.* 4. Sanchez *in precept. Decalog. t.* 1. *l.* 3. *c.* 11. *n.* 37. ex ea ratione, quia cum Epiſcopi tempore conſecrationis ſuæ jurare debeant de rebus Eccleſiæ inconſulto Pontifice non alienandis, *cap. ſuper*, *de rebus Eccleſ. c. final. de Eccleſ. ædific. capite ſecundo de feudo*, *l. ult.* ubi notat Gregorius, *tit.* 11. *partit.* 1. junctis traditis a Redoano *d. q.* 3. §. *de alienatione facta non obſt. juram.* Beleucinus *de charitativo ſubſidio*, *q.* 45. & juramentum non debeat eſſe vinculum iniquitatis, *c. inter* 22. cum ſequenti, 22. *qu.* 4. *cap. cum quidam* 12. §. *final. cap. quanto* 18. *c. Quintavallis* 23. *c. intellecto* 33. *hoc tit.* & iniquum foret, Epiſcopum prætextu juramenti non repetere res Eccleſiæ violenter ablatas, quas non alienare juraverat, & quarum alienatio SS. PP. decretis prohibita eſt, *c. videntes* 16. 12. *quæſt.* 1. *capite ſine*, *cap. non liceat*, 20. 12. *q.* 1. *cap. nulli* 5. *cum ſequent. de rebus Eccleſ.* & cum nullum ſit ſecundum juramentum, utpote contrarium priori licito, *d. cap. intellecto* 33. ideo nullius juramenti vinculo obſtringi poſſe Epiſcopum, in præſenti Gregorius ſcribit, ideſt nullum fuiſſe iuramentum; ea enim verba talem ſenſum habent, ut poſt Gloſſam hic, verbo *Conſtringi*, docent plures congeſti a Mathienzo *in l.* 3. *tit.* 1. *gloſſ.* 13. *l.* 5. *recop.* Decianus *l.* 5. *praxi crimin. c.* 10. *n.* 5. P. Barboſa *in leg.* 1. *part.* 1. *num.* 29. *Digeſt. ſolut. matrimon.* Sed ea omiſſa ſolutione, Caſtropalao *de ſirmit. juramenti*, *puncto* 4. *n.* 11. prædicta verba *poſſe conſtringi*, ita accipit, ideſt nullius juramenti vinculis poſſe conſtringi Epiſcopum, illis nempe, quæ relaxari non poſſint. Auctores autem primæ ſolutionis verba ea accipiunt aſſerendo, quod licet ſimpliciter, & abſolute invalidum ſit juramentum de non repetendis rebus Eccleſiæ propriæ, quatenus inducit præjudicium Eccleſiæ; quatenus tamen tale juramentum reſpicit commoditatem, & utilitatem Prælati, pro tempore vitæ ſuæ ſuſtinetur, quia quod attinet ad ipſius præjudicium, abſque ullo ſalutis æternæ diſpendio licite ſervari poteſt: ſed quia in præſenti ſpecie nefandiſſima coactione compulſus Epiſcopus juramentum præſtitit, juſte a Pontifice

tifice abſolvitur, juxta textus *in capite verum*, *c. ſi vero*, *hoc titul.* quomodo in ſpecie textus *in capite cum veniſſet 6. de inſtit.* juramentum valet tantum in præjudicium Archidiaconi, ubi notarunt Gloſſa *verbo Abjuraſſe*, Abbas *n.* 14. & in præſenti *n.* 4. Alii tandem verba illa, *rebus ſuis*, accipiunt de rebus patrimonialibus ipſius Epiſcopi, quia meorum, & ſuorum appellatione res propriæ veniunt, *l. Quintus*, *§. argento: ff. de auro & argento:* ita docuerunt in præſenti Cujacius, & Barb. *n.* 4. verum exiſtimo illa verba ad utraque bona, Eccleſiaſtica, & patrimonialia Epiſcopi referri poſſe, & de utriuſque conqueſtum fuiſſe Epiſcopum. Et de rebus Eccleſiæ præſenſiſſe Gregorium, deducitur ex eo, quia ſpoliatoris nomen expreſſit, videlicet Comitis Arnulphi; ſpoliati tamen reticuit, & expreſſit tantum dignitatem, videlicet Leodienſem Epiſcopum, ut dignitatem potius, quam perſonam denotaret, *capite quoniam* 14. *de off. deleg.* De rebus etiam propriis conqueſtum fuiſſe Epiſcopum, conſtat ex eo, quia ſi tantum rebus Eccleſiæ ipſe fuiſſet ſpoliatus, nulla abſolutio eſſet neceſſaria, ex ſupra traditis; ſed Epiſcopum abſolvendum eſſe, quia compulſus juravit, docet Gregorius: ergo quia juramentum vires habuit. Et licet aliqui Gregorium referant ad abſolutionem de facto, ſeu ad cautelam, quæ plerumque præſtatur, *c. audivimus* 4. ubi Gloſſa *verbo Abſolvendo*, 24. *quæſt.* 1. *c. excellentiſſimus* 102. ubi Gloſſa *verbo Abſolvant* 11. *quæſt.* 3. *c. ad præſentium* 16. ubi Gloſſa *verbo Abſolvi*, *de appel.* tamen in præſenti ſpecie de abſolutione vera communiter DD. accipiunt. Hac igitur ſententia retenta, pro hujus textus explicatione dicendum eſt, in juramento duplicem obligationem dari, unam ex promiſſione expreſſa parti quæſitam; aliam ex tacita, quæ in Deum reſultat. D. Thomas 2. 2. *qu.* 89. *art.* 7. *ad* 3. & *l.* 3. *ſent. d.* 39. quem referunt, & ſequuntur Fachineus *l.* 8. *controv. cap.* 102. Cabreros *l.* 2. *de metu*, *cap.* 7. *num.* 71. unde cum iniquum ſit homini, qui vim intulit, ac proinde qui turpiter egit, in hoc ipſo, in quo turpitudo verſatur, promittentem obligari; ideo ait Gregorius in præſenti, Epiſcopum nullius juramenti vinculis poſſe conſtringi, parti videlicet, cui coactus juravit: at cum promiſſionem, quæ ex juramento in Deum confertur, nulla turpitudo dehoneſtet, quin potius qui Deum adhibuit in veritatis teſtem, teneatur adimplere ea, quæ promiſit, quamvis metu, propterea neceſſario deſideratur abſolutio in præſenti ſpecie. Totum mire complectitur Angelicus Præceptor in his verbis: „ In juramento, quod quis coactus fecit, duplex eſt obligatio; „ una qua obligatur homini, cui aliquid promittit; & talis „ obligatio tollitur per coactionem, quia ille, qui vim intulit, hoc meretur, ut ei promiſſum non ſervetur. Alia autem eſt obligatio, qua quis Deo obligatur, ut impleat quod „ per nomen ejus promiſit: & talis obligatio non tollitur in „ foro conſcientiæ, quia magis debet temporale damnum ſuſtinere, quam juramentum violare. “

C A P U T III.

a Idem *In regeſtro Regis Francorum.*

PErvenit ad nos, quod cum jam pridem ad partes Alverniæ, &c. *Et infra*: Non enim propoſitum aut promiſſum infringit, qui in melius illud commutat: nec tu, etiamſi ſcriptum promiſſum tuum juramento, vel fidei obligatione, interpoſita conditione firmaſſes, aliquatenus tenereris, ſi conſtet eum conditioni minime paruiſſe.

N O T Æ.

1 a IDem.) Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. c.* 10. non tamen reperitur textus hic in regeſtro Gregorii Magni, nec ejus hiſtoriam penes ſcriptores Galliæ reperire potui, etſi ſedulo omnes, quos præ manibus habere potui, legerim, perlegerimque. Repetentes in præſenti, etiam illius regni, eam omiſerunt, quam propter vicinitatem loci, & temporis facilius non ſine magno litteratorum commodo referre poterant. Illud tantum certo liquet, in præſenti agi de Philippo I. Rege Galliæ, qui temporibus Gregorii VII. ſceptrum illius regni tenebat: circa deciſionem vero Joannes de Deo, quem noviſſimi ſequuntur, docuit unam fuiſſe conſultationem Gregorio factam, ſcilicet Franciæ Regem cuidam Baroni interpoſito Sacramento caſtra promiſiſſe ſub fidelitatis lege, eaque non ſervata, donaſſe eadem caſtra Eccleſiæ, & Pontificem reſcripſiſſe, Regem potuiſſe in melius jusjurandum commutare, donando Eccleſiæ ſine injuria Baronis, qui fidelitatis legem ruperat. Sed hæc ſententia ſuſtineri non poteſt ex eo, quia Barone legem rumpente, Rex non maneret obſtrictus; unde poſſet cuilibet caſtra illa donare. Unde verior lectio eſt, duplicem fuiſſe conſultationem Gregorio factam, & ſic duplex reſponſum datum fuiſſe. Primum videlicet, jusjurandum de re aliqua factum poſſe in melius commutari, quod etiam docetur *in c. Beatus* 5. 22. *q.* 2. *c. mulier* 21. 22. *q.* 4. *c. licet* 18. *v. Talis*, *de regul. c.* 1. & 2. *c. ſcripturæ* 4. *c. magnæ* 7. *v. Cum igitur c. ex multa* 9. *§.* 2. *de voto*, *l.* 4. *l.* 7. *tit.* 8. *p.* 1. Ratio in promptu eſt, nam ſicut creditori melius ſatisfactum dicimus, ſi integrum illi debitum perſolvatur, *l. plane* 3. ubi Gothofred. *ff. famil. erciſc.* junctis traditis a Morla *in empor. tit.* 8. *q.* 8. aut ſi magis pretioſa moneta illi ſolutio fiat, juxta ea quæ reſolvit Gregorius Lopez *in l.* 3. *gloſſ.* 2. *tit.* 14. *p.* 5. ſic & Deo ſatisfactum melius dicimus, quando, quod illi pro anima & peccatorum redemptione offerimus, in meliori opere perſolvimus, ut docent in præſenti Cujacius, Uranius, & Balboa, & nos latius proſequemur *in c.* 1. *de voto*. Secundum reſponſum Gregorii ſpectat ad juramentum, non Deo, ſed parti præſtitum; quod ea non implente, imo frangente, impune violari poteſt: quod etiam ſtatuitur *in c. fideles* 28. *q.* 2. *l. qui fidem* 6. *de tranſact. l. ſi convenerit* 14. *§. nec tenebitur*, *ff. pro ſocio*, *l. quæro* 54. *§. inter*, *ff. locati*. Cujus reſponſi rationem illuſtrant repetentes *in præſenti*, & alii congeſti a Barb. *in coll. & ſelect. ad hunc textum*; & nos nonnulla adduximus *in c.* 1, *de treg. & pace*, *in fine*. Facit, quod in repromiſſionibus reciprocis vulgo docetur, fruſtra fidem quem poſtulare ſibi ſervari ab eo, cui fidem a ſe præſtitam violavit, *c. ſicut* 29. *§. ult. hoc tit. c. dilectus* 28. *de ſimon. c. fruſtra*, *de regul. juris in* 6. *l. Julianus* 13. *afferri*, *ff. §. de act. emp. l. cum fundus* 31. *§. ult. ff. de rebus cred. l. Miles* 25. *§. fin. ff. de ædilit. edict. l. ſi pater* 8. *C. de act. empti l.* 28. *titul.* 11. *p.* 3.

C A P U T IV.

a Gregorius *Petro Subdiacono.*

EGO Epiſcopus N. ab hac hora in antea fidelis *b* ero Sancto Petro, Sanctæque Apoſtolicæ Rom. Eccleſiæ, Dominoque meo Papæ N. ejuſque *c* ſucceſſoribus canonice intrantibus. Non ero in conſilio, nec in facto, ut vitam perdat, aut membrum, vel capiatur mala captione. Conſilium, quod mihi per ſe, aut per litteras, aut per nuntium manifeſtabit, in ejus damnum nulli pandam. Papatum Rom. Eccleſiæ, & regulas Sanctorum Patrum adjutor ero ad defendendum, & retinendum, ſalvo *d* meo ordine, contra omnes homines. Vocatus ad Synodum *e* veniam, niſi præpeditus fuero canonica præpeditione. Legatum Apoſtolicæ Sedis, quem certum Legatum eſſe cognovero, in eundo, & redeundo honorifice tractabo, & in ſuis neceſſitatibus adjuvabo. Apoſtolorum *f* limina ſingulis annis, aut per me, aut per certum nuntium meum viſitabo, niſi eorum abſolvar licentia. Sic me adjuvet Deus, & hæc ſancta Evangelia.

N O T Æ.

1 a GRegorius.) ita etiam legitur in prima collectione, *ſub tit. de elect. c.* 20. Sed licet apud Gregorium Magnum plures extent epiſtolæ miſſæ Petro Subdiacono Defenſori Siciliæ, ut jam notavi *in c.* 1. *de tranſact.* non tamen verba hujus textus reperiuntur in regeſtro ejus epiſtolarum: Franciſcus Hallierius ſtatim laudandus tribuit textum hunc Greg. II. alii vero legunt *Greg. III.* Petrus Molineus *in libro de monarch. temp. Rom. Pontificis*, injurioſe, & petulanter impugnans hanc juramenti formam, primo expendit, juramentum hoc novum eſſe, & a temporibus Gregorii IX. in hoc textu relati tantum originem ducere, nec ante hanc compilationem ſextam Decretalium juramentum hoc legi, vel reperiri. Sed fallitur miſere Molineus, cum Gregorii IX. conſtitutiones in hac Decretalium collectione, cujus ipſe auctor eſt, non primum, ſed ultimum locum cujuſque tituli obtineat; præſens vero textus quarto loco compiletur. Rectius ergo exiſtimarunt Cujac. *in præſenti*, Rouſſel. *l.* 3. *hiſt. juriſd. Pontif. c.* 1. textum hunc eſſe Greg. VII. cujus etiam ſunt textus *in c.* 2. 3. & 5. *hujus tituli*: quod aperte conſtabit, ſi obſervemus, Gregorium VII. occaſione ſchiſmatis, quod in ipſam Henricus Imperator excitaverat, ab omnibus Epiſcopis a ſchiſmate redeuntibus hoc juramentum fidelitatis exegiſſe; unde in Synodo Romana 6. ſub ipſo Gregorio VII. celebrata, cujus acta habentur in regeſtro ipſius Gregorii poſt epiſtolam 17. *l.* 6. extantque apud Binium *t.* 3. *Conc. p.* 2. ſimile omnino juramento relato in hoc textu ita emiſit Archiepiſcopus Aquilejenſis. „ Ab hac hora, & in „ antea fidelis ero B. Petro, & Papæ Gregorio, ſuiſque ſucceſſoribus, qui per meliores Cardinales intraverint. Non ero „ in conſilio, neque in facto, ut vitam, aut membra, aut „ Papatum perdant, aut capti ſint mala captione. Ad Synodum, ad quam me vocabunt, vel per ſe, vel per ſuos nuncios, vel per ſuas litteras veniam, & canonice obediam; „ aut ſi non potero, Legatos meos mittam. Papatum Romanum

„ num & Regalia S. Petri adjutor ero ad retinendum, & defendendum ſalvo meo ordine. Conſilium vero quod mihi „ crediderint per ſe, aut per nuntios ſuos, ſive per litteras, „ nulli pandam, me ſciente, ad eorum damnum. Legatum „ Romanum eundo, & redeundo honorifice tractabo, & in „ neceſſitatibus ſuis adjuvabo, cum invitatus fuero. Hæc omnia obſervabo, in quantum ſua certa licentia remanſerit. „ Quod juramentum eadem fere verba continet, quæ præſens textus, præter quam quod compilatores primæ, & ſextæ collectionis loco illorum verborum *Regalia S. Petri*, tranſcripſerunt, *regulas SS. Patrum*; forſan quia notis ſcriptum erat hoc juramentum ita, *R. S. P.* ideſt Regalia ſancti Petri; & compilatores legerunt, *regulas ſanctorum Patrum*, ut crucem figerent repetentibus in præſenti in expoſitione eorum verborum. Item pro G. ideſt Gregorio, poſuerunt C. unde hallucinatus fuit vir doctus Andreas Sauſay *in Panopl. Epiſc.* & inde probat, jam a temporibus Cæleſtini II. vel III. hanc juramenti formam fuiſſe uſitatam. Confirmarunt PP. Concilii Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 1. & plura de hoc juramento cumularunt Garcia *de benef.* 3. *p. c.* 3. *per totum*, Sanch. *l.* 2. *ſummæ*, *c.* 5. Solorzanus *t.* 2. *de jure Ind. l.* 3. *c.* 6. ubi docte probat, per procuratorem hoc juramentum præſtari non poſſe.

2 Refellitur Molineus. Sed ut ad Molineum redeamus, ejuſque deliramenta refellamus, ſciendum eſt, jam a temporibus Gregorii II. formam hujus juramenti fidelitatis, licet non ita amplam, reperiri in vita S. Bonifacii apud Surium *t.* 5. Baronium *t.* 9. *annal. anno* 723. Binium *t.* 3. *p.* 1. *Conc.* ubi prædictus Sanctus tempore ſuæ ordinationis ita juravit (Promitto ego Bonifacius Dei gratia Epiſcopus, tibi B. Petre Apoſtolorum Princeps, Vicarioque tuo B. Gregorio Papæ, & ſucceſſoribus ejus, per Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, Trinitatem inſeparabilem, & hoc ſacratiſſimum Corpus tuum, me omnem fidem, & puritatem ſanctæ Fidei Catholicæ exhibere, & in unitate ejuſdem fidei, Deo operante, perſiſtere, in quo omnis Chriſtianorum ſalus eſſe ſine dubio comprobatur: nullo modo me contra unitatem communis, & univerſalis Eccleſiæ, ſuadente quopiam, conſentire: ſed ut dixi, fidem, & puritatem tibi, & prædicto Vicario, atque ſucceſſoribus ejus per omnia exhibere. Sed & ſi cognovero Antiſtites contra inſtituta SS. PP. converſari, cum iis nullam habere communionem, aut conjunctionem: ſed magis ſi prohibere valuero, prohibebo; ſin minus, fideliter ſtatim Domino meo Apoſtolico renuntiabo. Quod ſi, quod abſit, contra hujus promiſſionis meæ ſeriem aliquid facere quolibet modo, ſeu ingenio, vel occaſione tentavero, reus inveniar in æterno judicio, & ultionem Ananiæ, & Saphiræ incurram, qui vobis etiam de rebus propriis fraudem facere præſumpſerunt. Hunc etiam indiculum Sacramenti ego Bonifacius exiguus Epiſcopus manu propria ſcripſi, atque ponens ſupra ſacratiſſimum corpus ſancti Petri, ita ut præſumptum eſt, Deo teſte, & judice, feci Sacramentum, quod & conſervare promitto.) Major etiam pars ipſius formulæ expreſſa reperitur verbatim in formula juramenti, quam ab Epiſcopis Germaniæ emittendam, ut Eccleſiæ reconciliarentur, qui ſchiſmati hæſerant contra Alex. III. Concilium Lateran. ea in cauſa habitum præcepit: ita enim erat præſcripta an. 1179. „ Ego N. „ anathematizo, & recuſo omnem hæreſim extollentem ſe adverſus ſanctam Romanam Eccleſiam, præcipue vero ſchiſma Octaviani, & Joannis, &c. & promitto fidelitatem S. R. „ E. & Domino meo Alexandro, & ſucceſſoribus ejus intrantibus, ipſiſque ſerviam abſque omni malo ingenio contra omnem hominem, ſecundum ordinem meum. Conſilia ejus, „ quæ mihi ſcripto certo mandaverit, vel ipſe commiſerit, „ nulli hominum pandam, neque etiam pro periculo corporis, atque membrorum. Legatum Romanæ Eccleſiæ honorabo, & ducam, & reducam, & juvabo expenſis. Sic me „ Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia. “ Et in actis Concilii Venetici apud Binium *t.* 3. *par.* 2. ex quibus conſtat, pluribus ſæculis ante Gregorium IX. juramentum hoc fidelitatis uſitatum fuiſſe. Prorſus ridiculum eſt aliud fundamentum, quo impugnat Molineus juramentum hoc, videlicet quod in eo nulla ſit de Deo mentio: nam ignorat Molineus, quod Theologi ſummo conſenſu docent, juramentum eſſe actum religionis, quandoquidem nihil aliud eſt jurare, quam Deum vocare in teſtem, ejuſque auctoritate ad fidem dictis conciliandam niti. Fieri igitur nequit, ut quis juret, & Dei non memoretur, cum ipſum juramentum Deum pro objecto habeat, cujus ſolius obteſtatione fulcitur. Solemni ritu Epiſcopus ordinandus, cum Papæ obedientiam profitetur, ambas manus ſuper textum Evangelii apponit; genuflexuſque dixit: *Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia*. Tuncque reſpondet conſecrator Pontifex: *Deo gratias*; quoniam uti Dei obteſtatione firmatur jusjurandum, ita ad Dei gloriam exhibetur. Igitur procul eſt a vero Molineus, qui præſtari hoc juramentum Papæ ſupponit, Dei nulla mentione facta. Nec eſt quod excipiat, in juramenti tenore de jure, & honore ſervando Papæ fieri dumtaxat ſponſionem, non de Dei lege, aut Fide pie, ac illibate obſervanda. Siquidem duplex emittit futurus Antiſtes juramentum: prius continet fidei Catholicæ plenam profeſſionem, hocque antequam confirmetur a Papa emittere tenetur: poſterius poſt bullarum promotionis receptionem, in quo jam fide in tuto per priorem profeſſionem poſita, ordinandus ſpondet Romano Pontifici tanquam ſummo Chriſti Vicario, & apici ſacræ totius hierarchiæ, pro bono Eccleſiaſticæ unitatis, & canonicæ ſubjectionis debito, obedientiam, & fidelitatem. Quapropter in hac præſertim ſponſione honori, & ſecuritati Apoſtolicæ Sedis, ac Eccleſiæ tranquillitati cavetur, quemadmodum in priore, fidei integritati, & religionis decori, ac incremento fuit præcipue proſpectum, ut ſingula capita hujus juramenti exponens probat Flor. *ad tit. de uſu pallii*.

b *Fidelis ero.*) Unde fidelitas hæc per juramentum appellatur fidelitas per Sacramentum, in veteribus formulis, quas congerit Sirmundus *in notis ad Capitul. Caroli*, *verbo Fidelitas*, & ibi eodem verbo Anſeguiſus, hodieque juxta Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 24. *de reform. c.* 12. emittitur profeſſio fidelitatis ab omnibus Prælatis Eccleſiaſticis, & Clericis ordinandis: late hujus profeſſionis praxim, & uſum explicat Franc. Hallierius *de ſacris elect. ſect.* 6. *§.* 8. Ricciulus *de jure perſon. l.* 1. *c.* 13. & 14. Solorzanus *t.* 2 *de jure Indiar. l.* 3. *c.* 6. & *l.* 4 *polit. c.* 6. 3

c *Succeſſoribus.*) Quatenus obligatio juramenti tranſeat in ſucceſſores, & contra ſucceſſores, dicemus *in capit. veritatis* 8. *hoc titul.* 4

d *Salvo meo ordine.*) Ideſt juxta ſtatum meum, non armis temporalibus ſuſceptis, ut ex obſervatione Excell. D. D. Didaci Valladares Inquiſitoris Gener. notavit Ovalle *in c. unico*, *de Cleric. venat. n.* 62.

e *Ad Synodum veniam.*) Epiſcopi enim vocandi ſunt ad Concilium generale, vel provinciale, & venire tenentur, niſi legitime reperiantur impediti, *c. non oportet*, *c. pervenit*, 18. *d.* & eo caſu debent excuſationis cauſam coram Patribus proponere per litteras; aut per nuntium, ut probant late plura adducentes, Acunna, & Joannes Dartis *in* 18. *diſt.* Jacobatius *de Conciliis l.* 2. *art.* 13. Fragoſo *de regim. Chriſt. Reipubl. par.* 2. *l.* 1. *diſp.* 11. *§.* 7. *n.* 23.

f *Apoſtolorum limina.*) Ideſt D. Petri, & Pauli Eccleſiam, & ita limina Apoſtolorum paſſim apud Eccleſiaſticos Scriptores accipiuntur, *c. ad limina* 30. *q.* 1. notavit Savarus *ad Sidon. l.* 1. *ep.* 5. Erant autem olim limina Apoſtolorum, ideſt ædes ſacræ Sanctorum Petri, & Pauli, tam in antiqua, quam in nova Roma; quia Conſtantinopoli Imperator Conſtantinus Eccleſiam his ſanctis Apoſtolis dicavit. Nicephorus *l.* 7. *hiſt. c.* 49. D. Hieronymus *in Chron. an.* 374. De novæ Romæ liminibus intelligendi ſunt textus *in leg.* 6. & 10. *C. Theod. de ſepulchro viol.* Mos autem viſitandi limina Sanctorum Apoſtolorum per omnes Epiſcopos ſtatim poſt conſecrationem ſuam, & per viciniores quotannis, perantiquus eſt: ejus meminerunt Zacharias *in c. juxta*, 93. *d.* Ivo Carnot. *ep.* 250. ubi Rodulphum Epiſcopum Roffenſem in Cantuarienſem electum, apud Paſchalem II. excuſat, quod Romam necdum profectus eſſet, his verbis: „ Hic in propria perſona Sedem Apoſtolicam viſitare „ ſecundum majorum inſtituta deliberavit; ſed eum partim „ corporis debilitas impedivit; partim periculum Romani itineris deterruit: mittit itaque prædicta Eccleſia vice electi „ ſui religioſas perſonas, & dictis, & ſcriptis obnixe poſtulantes, ut prædictum electum Cantuarienſi Epiſcopatui confirmetis, & dignitatem ei pallii concedatis. “ Et *ep.* 254. Hincmarus *ep.* 2. *ad Hadrian.* & *in Pontif. Rom. c.* 1. *de conſecr. Epiſc.* exprimitur tempus viſitandi limina: ſed paululum immutatum, ut ibi legitur, & in conſtitutione Sixti V. edita 15. Kal. Januarii: anno 1584. quippe cum non annis ſingulis, ſed triennio eadem Apoſtolorum limina viſitanda ab Epiſcopo conſecrando promittantur, imo in ejuſdem rubricis exponatur lex iſta de viſitandis quocumque triennio Apoſtolorum liminibus; quaſi ad ſolos Italos, vel ex Italicis inſulis, & adjacentium Provinciarum, veluti Siculos, Sardos, Corſos, Dalmatas, item & Græcos, qui in regione ipſius Italiæ, & Siciliæ oris habitabant, pertineat; Gallos vero, Germanos, Hiſpanos, Belgas, Bohemos, & Ungaros, Polonos, Anglos, Scotos, Hibernos, & ceteros, qui in Europa ſunt citra mare Germanicum, & Balticum, atque omnium Inſularum maris Mediterranei Epiſcopos, non niſi ſingulis quadrienniis; remotiorum vero Provinciarum Europæ, itemque Africanos ſingulis quinquenniis, Aſiaticos tandem, & in aliis orbis partibus degentes, non niſi ſingulis decenniis obliget. Illuſtrat Franc. Hallierius *de ſacris elect. ſect.* 6. *§.* 2. *pag.* 238. Rouſſel. *l.* 3. *hiſtor. Pontif. juriſd. c.* 1. *n.* 11. qui varias rationes hujus obligationis adducunt: & poſt eos Barboſa *de poteſt. Epiſc. alleg.* 111. *n.* 41. Gibalinus *in ſynopſi de cenſuris*, *littera L*, *n.* 7. Commentarium hujus textus dedi *in c.* 4. *de elect.* 5

C A P U T V.

a Urbanus PP.

NUllus Epiſcopus clericos ſuos, niſi forte quibus Eccleſiaſticarum rerum commiſſa fuerit diſpenſatio, ſibi *b* jurare compellat.

NOTÆ.

N O T Æ.

1 a Urbanus.) Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. c. 1. & in c. nullus, ſin. 25. q. 5.* Urbanus II. antea Otho Caſtilioneus dictus, electus fuit in ſummum Eccleſiæ Præſulem die 12. Martii anno 1088. & deceſſit die 28. Julii anno 1099. varias epiſtolas ſcripſit, ut referunt Baronius *tom. 11.* & aliquæ reperiuntur *tom. 7. Concilior. Binii*; aliaque opera ſcripſit, quorum indicem refert Ludovicus a Sancto Carolo *in Bibl. Pontif. litt. V, verb. Urbanus II.* ex quibus deductus eſt præſens textus.

2 b *Jurare compellat.*) Imo obedientiam, ac reverentiam Epiſcopis propriis clerici tempore ſuæ ordinationis promittere debent, *c. quamquam, 23. diſt.* & non ſolum presbyteros, verum & quoslibet clericos Epiſcopis propriis obedientiam promittere debere, conſtat *ex c. cum clerici 19. de V. S.* ubi refertur, ſolitos fuiſſe Clericos Placentinæ Eccleſiæ juramentum ſub hac verborum forma Epiſcopo præſtare: „ Ego talis ab hac hora „ in antea fidelis ero, & obediens Placentinæ Eccleſiæ, & „ Domino meo Epiſcopo Placentino. „ Et conſultus Innoc. III. an hac jurandi formula etiam Capitulo juratum videatur? Reſpondit, Epiſcopo tanquam capiti juratum videri; non tamen improbat hujuſmodi uſum exigendi ſimile juramentum. Facit etiam ritus in conferendo Presbyteratus gradu uſitatus, quem & Pontificale Romanum *p. 1. tit. de ordin. presbyt.* præſcribit, & Eccleſia recipit, nempe ut ordinandus presbyter, ſi quidem ab ordinario ſuo Antiſtite Presbyteratus honorem receperit, interrogante his verbis Epiſcopo: „ Promittis mihi, „ & ſucceſſoribus meis reverentiam, & obedientiam? “ Statim ipſe reſpondeat: *Promitto.* Et ſi ab alio Epiſcopo ordinatur, Epiſcopi proprii nomine ordinator juramentum exigit. Ergo non recte in præſenti Urbanus inhibet hujuſmodi juramentum a clericis præſtari. Pro hujus difficultatis ſolutione dicendum eſt, clericos quoſcumque beneficia curam animarum habentia poſſidentes ad roborandam juramento obedientiæ ſuæ ſuſpicionem teneri, ut probavi *in c. 4. de elect.* quo caſu procedit Conc. Tolet. relatum *in d. c. quamquam 6. 23. diſt.* unde Guallo Cardinalis in Synodo apud Bochellium *decret. Eccleſ. Gallic. 6. tit. 5. c. 9.* ſanctionem edidit, quæ juramenti obedientiæ Epiſcopo ab Eccleſiarum Rectoribus exhibendi neceſſitatem eo tempore agnitam oſtendit: „ Monemus, *inquit*, primo, ſecun„ do, & tertio, una monitione præhabita pro omnibus, om„ nes, & ſingulos Abbates, & Eccleſiarum Rectores, & alias „ perſonas Eccleſiaſticas noſtrarum civitatum, & diœceſis, qui „ nobis, ſeu prædeceſſoribus noſtris fecerint, & facere tenen„ tur juramentum fidelitatis, & obedientiæ, & aliud ab Ab„ batibus, & Rectoribus, & aliis perſonis Eccleſiaſticis no„ bis, ſeu prædeceſſoribus noſtris præſtari, ſeu fieri conſue„ tum, quod illud nobis faciant, & præſtent infra menſem „ ab hoc die computandum, alioquin dicto menſe elapſo il„ los, qui hujuſmodi juramentum omiſerint nobis facere, vel „ præſtare hujuſmodi monitione præmiſſa, excommunicationis „ ſententiam decernimus incurriſſe. “ Etiam alii clerici obedientiam juramento promittunt: ſi ſuſpecti ſint de inobedientia, *c. cum in Eccleſia, de majorit. & obed.* vel ſi conſuetudo adſit, ut omnes clerici eam juramento promittant, *c. illud, de exceſſ. Prælat.* quibus caſibus exaudiendi ſunt textus ſupra expenſi. Ceterum in aliis clericis beneficia curata non habentibus non adeſt obligatio firmandi juramento promiſſionem obedientiæ, ſed ſufficit ſimpliciter in manibus Epiſcopi eam facere, *c. legebatur 3. de majorit. & obed.* Unde talis obedientia manualis appellatur *in c. his 11. de majorit. & obed. c. olim 12. de reſtit. ſpol.* quia nullo inſtrumento, aut juramento indiget; latius proſequuntur Hallier. *de ſacr. elect. ſect. 6. §. 11.* Uran. Balboa, & Cujac. *in præſenti*, & nos *in c. 4. de elect.*

C A P U T VI.

Alex. III. a *Vigilien. Epiſcopo*.

Debitores autem ad ſolvendas uſuras, in quibus ſe obligaverant, cogi non debeat, niſi eas juramento ſolvere teneantur. Si vero de ipſarum ſolutione juramentum fecerint, cogendi ſunt Domino reddere juramentum, ut creditoribus ſolvantur, & cum uſuræ ſolutæ fuerint, creditores ad eas reſtituendas cogendi ſunt Eccleſiaſtica, ſi neceſse fuerit, auctoritate.

N O T Æ.

a Vigilien.) Ita etiam legitur in 1. collectione, *ſub hoc tit. c. 2.* & poſt Concilium Later. *p. 16. c. 4.* Vigilienſis urbs, vulgo *Biſeglia*, eſt Epiſcopalis in Italia, in Provincia Apuliæ, ut refert Carolus a Sancto Paulo *in geograph. ſacra l. 1. fol. 59.* notavi *in c. 8. de ætate, & qualit.*

COMMENTARIUM.

1 Concluſio probatur. Ex hoc textu ſequens deducitur aſſertio: “ Promittens uſu„ ras ſolvere, non obligatur, juramento tamen accedente „ cogitur eas præſtare, ſed poſtea repetere valet. „ Quæ aſſertio probari poteſt quoad primam partem *ex c. 1. c. ad noſtram 20. hoc tit. c. ſignificante 7. de pignorib.* & quoad eam partem, ubi docetur uſurarum promiſſionem non valere, probant textus *in c. Epiſc. c. quoniam 2. c. omnes 3. c. de Petro 4. c. ſi quis 5. 47. diſt. c. ſi fœneraveris 1. c. putat 2. c. plerique 3. c. uſura 4. 14. quæſt. 3. c. clerici 1. c. miniſtri, 2. c. canonum 3. cum ſeq. 14. qu. 4. c. 1. c. quoniam 2.* & fere per totum, *de uſuris*. Illuſtrant ultra congeſtos in præſenti a Barboſa, Balboa, & Garanna, Fornerius *l. 3. ſelect. c. 30.* Mancinus *genial. c. 211.* Cujacius, & Uranius *in præſenti*, Abbas Panormit. *quæſt. 2.* Merenda *l. 1. controv. capit. 11. numer. 6.* Caſtropalao *de juram. diſput. 5. numer. 8.*

2 Impugnatur tradita aſſertio. Sed hæc aſſertio difficilis redditur ex ſequenti conſideratione; nam inter juramentum, & ſimplicem promiſſionem Deus nullam agnoſcit differentiam, *c. juramenti 22. q. 4. c. querelam, ne Prælati vices ſuas*: ſed ex ſimplici promiſſione uſuraria nulla naſcitur obligatio, ut in priori parte hujus textus docetur. Igitur nec ex promiſſione juramento firmata, præcipue cum juramentum ſequatur naturam actus, cui adhæret, *l. fin. Cod. de non n. pecun. leg. ſi quis pro eo 57. ff. de fidejuſſ. leg. ſi quis inquilinos 112. §. ult. ff. de legat. 1.* Augetur hæc difficultas eo, nam debitor uſuram promittens, non leve committit peccatum, cum creditori mutuanti peccandi occaſionem præbeat, *c. fin. de injuriis, c. de cetero 11. de homicidio*: ergo præſtans juramentum de uſuris ſolvendis, non tenetur illud adimplere, præcipue cum juramentum contra bonos mores præſtitum nullum ſit, *c. non eſt, c. in malis, de R. J. in 6. c. ſi diligenti 12. c. ſignificaſti 18. cum ſequent. 22. quæſt. 2.* Igitur juramentum in præſenti ſpecie præſtitum nullum fuit, & per conſequens debitor non tenebatur illud adimplere.

3 Traditur ratio decidendi. Qua difficultate ita fulcita non obſtante, vera eſt præſens deciſio, cujus vera ratio, præmiſſis quæ pro ejus expoſitione adduximus *in c. 1. hoc titulo*, provenit ex prohibitione uſurarum, quam a jure naturali, divino, & Eccleſiaſtico provenire probabimus *in c. 1. de uſuris*. Cum ergo ex uſurarum promiſſione nulla acquiratur creditori actio, propter actus turpitudinem, ut probant Div. Thomas *2. 2. q. 78. art. 4.* Covar. *in c. quamvis pactum, 1. p. §. 9.* ideo Alexander in priori parte hujus textus docet, debitores ad ſolvendas uſuras ſimpliciter promiſſas cogi non poſſe in ſecunda vero parte ſtatuit, quod ſi debitor prædictam promiſſionem juramento firmavit, debet eam adimplere, nam cum omne juramentum, quod non vergit in diſpendium ſalutis æternæ, vel in alterius præjudicium, adimpleri debeat, *c. quanto, c. cum contingat, 28. hoc tit.* & juramentum quod præſtatur de ſolvendis uſuris, non vergat in detrimentum animæ, nec in præjudicium proximi, quia nulla turpitudo verſatur ex parte promittentis, ideo adimplendum eſt, ut docuerunt Fortun. Garcia *de ult. fine, illat. 22. princip. n. 465.* Covar. *in c. quamvis, 2. p. §. 3. n. 2. v. Primum ex hoc intellectu*, Suarez *l. 2. de jur. c. 27. in fine*, Leſſius *de juſtitia l. 2. c. 27. dub. 6. n. 51.* Inde etiam docet Alexander, debitorem poſt uſurarum ſolutionem poſſe illas repetere. Ratio eſt, quia cum ex tali juramento tantum Deo quæſita ſit obligatio, non vero creditori, ob ejus turpitudinem; & quotieſcumque verſatur turpitudo ex parte creditoris, non tamen ex parte debitoris, repetitioni locus ſit, *l. 1. §. 1. l. ut puta, §. 1. ff. de condict. ob turp.* ideo poſt ſolutas uſuras debitor eas repetere valet a creditore, ex cujus parte turpitudo dabatur.

Nec obſtat dubitandi ratio deducta *ex dict. c. juramenti*: cui reſpondendum eſt concedendo inter juramentum, & ſimplicem promiſſionem Deum non conſtituere differentiam quoad ſervandam fidem, quia ut in juramento, ita & in ſimplici loquela fides ſervari debet: & quemadmodum a juramento abeſſe debet perjurium, ita a promiſſione debet abeſſe perfidia. At vero quoad effectum obligationis, & rationem obligantem magnum datur diſcrimen inter juramentum, & ſimplicem promiſſionem; nam ut efficax ſit promiſſio, tam ex parte creditoris, quam debitoris, turpitudo debet abeſſe: in juramento tamen ut ejus obligatio ſit efficax, ſufficit ex parte debitoris licitam eſſe promiſſionem, licet ex parte creditoris illicita ſit; cum juramentum, quod non vergit in diſpendium ſalutis æternæ, adimpleri debeat. Docuerunt Covarr. *in dict. c. quamvis, 1. part. §. 2. n. 1.* Caniſius *in c. 1. de pactis*, Grotius *l. 2. de jure belli, c. 13.* Non itaque ſatis mirum videri cuiquam poteſt, ſi juramentum valet de ſolvendis uſuris, cum tamen uſurarum promiſſio non valeat; nam ſuam a ſeipſo obligationem juſjurandum habet, & is, qui promiſit uſuras ſe ſoluturum, ſimul aſſeruit verum eſſe, quod promiſit: quocirca verum eum facere oportet, quod ſacramento firmavit: docuit Mancinus *cent. 3. genial. c. 211.* Nec obſtat quod dicebamus, videlicet juramentum ſequi naturam actus, cui adhæret; nam hoc quatenus procedat, dicemus infra *in c. cum contingat*. Nec adverſatur augmentum difficultatis; nam reſpondetur negando debitorem proximam cauſam peccandi uſurario præſtare illi promittendo uſuras. Enim vero juramentum de ſolvendis uſuris præſtari, & ſervari poteſt ſine peccato; unde datur neceſſitas adimplendi, cum abſque peccato adimpleri poſſit, ut tenet Mancinus *ubi proxime*. Nec hoc juramentum eſt contra bonos mores, cum ex parte promittentis uſuras nulla detur turpitudo, licet adſit in exigente eas, propter quam ante ſolutionem cogitur relaxare juramentum, & poſt ſolutionem competit repetitio. 4 Diſſolvitur dubitandi ratio.

C A-

C A P U T VII.

Idem *a Rothomagen. Archiepiſcopo, & ejus ſuffraganeis.*

Ad noſtram noveritis audientiam perveniſſe, quod cum Petrus de Neaſdem tempore guerræ, quæ fuit inter chariſſimum filium *b* noſtrum H. illuſtrem Regem Anglorum, & filios ejus, a quibuſdam hominibus pro tuitione Regni Francorum certam ſummam pecuniæ mutuaſſet, ab eis quaſdam poſseſſiones, & redditus cœpit in *c* pignus: ipſos etiam ſub juramenti religione ſibi adſtrinxit, quod ei ſuper poſseſſionibus, & redditibus illis, donec ſolverent ſibi pecuniam mutuatam, nullam moleſtiam, vel gravamen inferrent. Licet autem de poſseſſionibus illis, & redditibus præfatis nondum plene ſortem ſuam, ſicut aſserit, deductis expenſis receperit; quia tamen tu, frater Archiepiſcope, eum propter hoc vinculo excommunicationis adſtrinxiſti, exinde vobis litteras cogimur noſtras deſtinare, præſertim cum ipſe, ſicut aſserit, ſorte velit eſse contentus. Inde eſt, quod f. v. per A. ſ. p. m. quat. recepta a præfato P. ſufficienti cautione, quod exinde veſtro mandato debeat parere, ipſum contradict. & ap. ceſs. a ſententia, qua tenetur, auctoritate noſtra penitus abſolvatis: & deinde debitores ejus, qui ſibi prædictas poſseſſiones, & redditus contra juramenrum ſuum ſubtraxiſse dicuntur, ſi ita eſt, eccleſiaſtica cenſura cogatis, ut poſseſſiones ipſas, & redditus eidem P. dilatione, & ap. ceſs. reſtituant, nec ſibi de cetero contra juramentum ſuum moleſtias inferant, donec ei *d* pecunia ſolvatur; quia non eſt tutum cuilibet, ſed periculoſum potius, religionem infringere juramenti. Cum autem prædicto P. pecuniam ſuam, ſicut juraverunt, perſolverint, vos ipſum ad reſtituendum quicquid vobis cum deductis *e* expenſis ultra ſortem recepiſse conſtiterit, ſtudioſe monere, & diligenter inducere ſtudeatis: & ſi commonitus id non fecerit, ipſum rem. ap. ob. in eandem excommunicationis ſententiam reducatis. Quia ſicut periculoſum eſt debitoribus ſuum juramentum infringere; ita non minus periculoſum eſt creditoribus detinere quod pro uſuris receperint, cum ſit uſuratum crimen deteſtabile, & horrendum plurimum, & utriuſque Teſtamenti pagina condemnatum.

N O T Æ.

1 a Rothomag.) Ita etiam habetur in prima collectione, *ſub hoc tit. c. 3.* poſt Concilium autem Lateran. *p. 16. c. 9.* legitur Cantuarienſi Archiepiſcopo: quælibet lectio retineri poteſt, cum caſus in præſenti relatus contigiſſet inter Anglos, & Gallos, unde Prælatis, Angliæ, vel Galliæ ejus cognitio, vel deciſio committi poterat. Si de Archiepiſcopo Rothomag. accipias, erat his temporibus Botradus, vir ſummæ nobilitatis, auctoritatis, & virtutis, quem mire Petrus Bleſenſis prædicat *epiſt. 533.* & aliqua de eo congeſſit Chenu *in ſerie Præſulum Rothomag.* Si Cantuarienſem retineas, florebat hoc ſæculo Richardus, de quo plura adduxit Smitheus *in catal. Præſul. Cant.*

2 b *Noſtrum H.*) Henricum II. videlicet. Ulciſcente enim Domino noſtro injuſtam necem S. Thomæ Cantuar. accidit ut inter Reges Angliæ patrem & filium implacabilis diſſenſio oriretur, eo quod petenti filio dari ſibi civitatem aliquam, ſive in Anglia, ſive in Northmannia ad habitandum cum conjuge filia Regis Francorum, pater negaverit omnino. Ex quo factum eſt, ut deficiens a patre filius adverſus eum bellum conflarit una cum fratribus ſuis, & Fœderatis Principibus, ipſo Rege Francorum, necnon Rege Scotiæ, Comitibus Pictavienſi, & Flandrenſi, aliiſque opem, & favorem præbentibus. Ita permittente Deo, ut Rex ſenior, qui patrem ſuum Thomam indefeſſo ſtudio fuerat perſecutus, perſecutorem ipſe pateretur filium ſuum, quouſque tantum a ſe admiſſum penitus expiaret delictum. Qui & in ſummum diſcrimen adductus, non alium habuit, ad quem confugeret, quam illum ipſum, cujus tam ſæpe mandata eluſerat, Alexandrum Romanum Pontificem: & ab eo auxilium per litteras implorans, eam in primis rationem adduxit, quod (ut ait “ Regnum Angliæ eſſet „ juriſdictionis Eccleſiæ Romanæ, & juris feudatarii obliga„ tione teneretur eidem obnoxium, & adſtrictum. „ Ideoque rogavit, ut experiretur Anglia, quid poſſet Romanus Pontifex: & quia materialibus armis non uteretur, patrimonium Beati Petri ſpirituali gladio tueretur. Refert Baronius *an. 1173.*

3 c *In pignus.*) Aliqui differentiam aſſignant inter pignus, & hypothecam in eo, quod pignori tradantur res mobiles, hypothecæ vero ſubjiciantur res immobiles. Sed perperam, ut ex hoc textu conſtat, ubi poſseſſiones pignori datæ fuerunt, *ex l. creditori 3. de pignor.* ibi: *Prædia obligata ex cauſa pignori*, & *l. ei qui 16. ff. de ſervit. leg. 2. §. fin. ff. de relig. & ſumpt.* Unde verius eſt, utrumque verbum æque generale eſse, ſignificareque rem pro ſecuritate debiti obligatam, *§. item 7. Inſtit. de action.* & inter pignus, & hypothecam tantum nominis ſonus intereſt, *l. res 5. §. 1. ff. de pignor.* & ſi aliqua differentia datur, maxime ea, quia pignus accipitur pro re mobili, vel immobili, cujus poſseſſio translata eſt in creditorem: hypotheca vero, cum poſseſſio rei apud debitorem manet, *l. ſi rem, leg. eam & ſortis, §. 1. ff. de pignor. act.* notarunt Alciatus, Fornerius, & Gentilis *in leg. plebs 238. ff. de V. S.* Donellus *de pign. c. 2.* Bachovius *eod. tr. l. 1. c. 1.* Connanus *l. 4. comm. c. 13. & 14.* dicemus *in c. 1. de pignor.* Unde cum in præſenti ſpecie poſseſſiones rerum etiam mobilium translatæ eſsent in creditorem, ideo poſseſſiones pignori traditas fuiſse dicitur.

d *Pecunia ſolvatur.*) Ex his verbis communiter docent repetentes in præſenti, quod quando debitor juravit non moleſtare creditorem ſuper rebus pignori datis, donec pecunia ſolveretur, non poſse eum, compenſatione fructuum facta, pignus repetere, ſed neceſsariam eſse veram, realemque ſolutionem: quod difficile valde eſt; nam certo conſtat ex hoc textu, & latius probabimus *in c. cum contra, de pignor.* teneri creditorem imputare in ſortem principalem fructus rei pignoratæ, deductis expenſis, & compenſatione facta debere reſtituere pignus: igitur in præſenti ſpecie neceſsaria non erat realis ſolutio, ſed ſufficiebat compenſatio. Cardinalis Panorm. Alex. Joann. Andreas, quos ſequuntur Guttierez *de jur. 3. p. c. 64. nu. 3.* Caſtillo *l. 3. controv. c. 23. n. 78.* affirmant hoc procedere, quia juramentum debet impleri in ſpecifica forma; unde cum juramento promiſiſset debitor, ſe non inquietaturum creditorem, donec pecunia ſolveretur, non poſse eum compenſatione fructuum facta pignus repetere. Sed hæc communis interpretatio convincitur ex eo, nam juramentum verificatur, & impletur etiam per actum fictum, *c. ex p. 2. de cler. non reſid.* ubi qui juravit in Eccleſia reſidere, & poſtea cauſa negotiorum propriæ Eccleſiæ abeſt, non ideo venit contra juramentum. Deinde 4
quia licet conditio adimpleri non debeat in ſpecifica forma, *leg. qui hæredi, in princ. l. Mævius, ff. de condit. & demonſtr.* certum tamen eſt, juſsum dare, vel ſolvere, implere conditionem compenſando, *l. ſi peculium, §. 1. de ſtatu lib.* Accedit, nam nihil intereſt, quod ſpecifice quid, aut æquipollentibus fiat, *leg. 3.* & ibi Gloſsa, *Cod. de inſtit. & ſubſtit. c. licet ex quadam, de teſtibus c. tua nos, de conſang. & affin.* Sed compenſatio, & ſolutio ſunt æquipollentia, & habent eandem utilitatem, *l. ſi debitor, ff. qui potiores, l. vel permutavit, ff. de liber. cauſa.* Igitur in præſenti ſpecie ſatis juramentum adimplebatur ſolvendo, vel compenſando pecuniam mutuam. Hac ergo ſolutione omiſsa verius dicendum eſt, in præſenti ſpecie non eſse locum compenſationi fructuum, non quia creditor eos lucretur, ſed quia tempore, quo debitor repetebat poſseſſiones pignori datas, non erat liquida fructuum quantitas. Unde compenſatio dari non poterat, juxta adducta per Covar. *in c. quamvis, 1. part. §. 4. n. 9. de pactis in 6.* Fachin. *l. 1. contr. c. 8.* Barboſam *in l. 15. §. eleganter, ff. ſolut. matrim.* vel quia juramentum in hac ſpecie præſtitum fuit, ne creditor moleſtaretur ſuper pignore, & ejus fructibus, donec pecunia mutua accepta ſolveretur; quo caſu renunciatum videtur compenſationi, ut docent Innocentius, Immola, & Felinus hic, quos ſequuntur Thom. Sanch. *l. 3. ſumma, c. 17. n. 15.* Arias de Meſa *l. 3. variar. c. 41. n. 40.*

e *Deductis expenſis.*) *Cap. cum contra, de pignoribus*, ubi commentarium hujus textus dabimus.

C A P U T VIII.

Idem *a Senon. Arcriepiſcopo*.

Si vero aliquis quemquam graviſſimo metu ſub religione juramenti jus ſuum refutare coegerit, ipſum quoque ſibi retinuerit: quia nos conſulere voluiſti, alter, an neuter id habere debeat: hoc tibi duximus reſpondendum, quod non eſt tutum, quemlibet contra juramentum ſuum venire, niſi tale fuerit juramentum, quod ſervatum vergat in interitum ſalutis æternæ: nec nos cuilibet ex reſponſione noſtra volumus dare materiam contra juramentum ſuum venire, ne auctores perjurii eſse *b* videamur. Unde aliquando in Romana Eccleſia a pluribus, & a *c* prædeceſsoribus noſtris factum eſse recolitur, quod clerici, qui coacti Eccleſiæ miniſterium abjuraverunt, de juramento abſolutionis beneficium meruerunt: & ad coercendam improbitatem eorum, qui eccleſiaſticos viros ad præſtandum illud juramentum impulerant, permiſſi ſunt in eadem Eccleſia miniſtrare

NOTÆ.